

SCHEMATISMUS CLERI

ALMAE DIOECESIS

SZATHMÁRINENSIS

AD

ANNUM JESU CHRISTI

1864

SZATHMÁRINI.

1864.

PATRONUS
DIOECESEOS SZATMÁRINENSIS

IDEM QUI REGNI

POTOREX SANCTUS STEPHANUS

SUB GUBERNIO

Excellentissimi, Illustrissimi ac Reverendissimi

Domini, Domini,

Michaelis Haas,

Miseratione divina et Apostolicae Sedis Gratia

EPISCOPI SZATMÁRINENSIS,

Sacrae Caes. Reg. et Apostolicae Maiestatis Actualis Intimi Status Consilarii,
Sanctissimi Domini Pii IX. P. M. Camerarii Secreti, Insignis Ordinis Francisci Joseph
Equitis, AA. LL. Et Philosophiae Doctoris, Conservatorii Monumentorum Historicorum
Commembri.

Conspectus Dioeceseos.

Dioecesis Szathmárinensis sub auspiciis immortalis memoriae Francisci I. Augustissimi Imperatoris Austriae ac Regis Hungariae vere Apostolici et Pii VII. P. M. anno Domini 1804 die 23. mensis Martii erecta diffunditur per provincias Szathmár, Ungh, Beregh, Ugocsa, Marmaros et per exiguam Comitatus Szabolcs partem. Constringitur limitibus, quos ei ponunt dioecesis Przemyslensis, archidioecesis Leopolitana, vicariatus Buccovinae, dioecesis dein Transsylvaniae, Magno-Varadinensis, item archidioecesis Agriensis et dioecesis Cassoviensis. Extensio et numerus eius incolarum est secundum conscriptionem anni 1857 sequens:

| Provinciae | Milliaria Quadrata | Impopulatio | |
|--------------------------------|-----------------------|-------------|----------|
| | | absoluta | relativa |
| Comitatus Szathmár | 107—34 | 249,000 | 2,320 |
| Comitatus Ungh | 55—18 | 98,607 | 1,787 |
| Comitatus Ugocsa | 22—01 | 184,424 | 2,071 |
| Comitatus Beregh. | 67—03 | | |
| Comitatus Marmaros | 189—07 | 184,472 | 976*) |
| Comitatus Szabolcs ad d. pert. | 3 | 3,329 | — |
| Summa . | 443,63 | 719,823 | — |

*) Provincia Marmarosiensis in toto quo late patet Imperio

Austriaco minimam habet, ut dicitur, impopulationem, in territorio milliaris solum 976 animas numerando.

**) Extra dioecesim administrat Parochus Nagybányensis Districtum medium Kővár et Manó cum adiacentibus pagis e delegatione Excell. Domini Episcopi Transsylvaniensis.

Regestrum *)

Decimarum Papalium Sexennialium

de

illis Agriensis et Transsylvaniensis Dioecesium provinciis, quae actu Episcopatum Szathmárinensem constituunt.

*) Regestrum hoc e manuscripto in tabulario Archidioeceseos Agriensis asservato curavit et annotationibus illustravit A. R. ac Doctissimus D. Franciscus Balássy de Bethlenfalva, Parochus Fel - Némethensis, cui pro curis et laboribus maximas, quas possumus ac debemus, babemus agimusque gratias.

Mentem haud latet, summoque afficit dolore, illud quidem quod calamitosis illis temporibus, quae Hungariam tot saeculorum decursu saepe saepius afflixerant, una cum ecclesiis, barbarorum rabie atque igni ferroque destructis, omnia fere monumenta earum historiam spectantia deperierint iactura nunquam satis lugenda. Spes una tantum detrimentum quodammodo sarcienti videtur, ut nempe ea, quae Regesta SS. Pontificum de rebus Hungaricis continerent, monumenta colligerentur, quae historiae eccl. patriae magnis admodum tenebris hucusque occultatae ac circumfusae lucem afferent.

Augustinus Theiner.

§. 1.

MOMENTUM

REGESTRI DECIMARUM PAPALIIUM SEXENNALIUM.

Inter antiqua notabilia ecclesiarum monumenta referri possunt etiam Regestra Decimarum papalium sexennialium, quae quemadmodum ad geographiam et historiam dioecesium illius aevi illustrandam, ita etiam ad incunabula aut vestigia singularum parochialium ecclesiarum indaganda haud parum conferre censentur. Ex his quippe Regestris potest disquiri:

1. Quot et qui Archidiaconatus in una aliaque dioecesi epocha decimarum papalium sexennialium exstiterint, quousque limites singulorum Archidiaconatum extensi et quot quasve hi sinu suo parochias complexi fuerint.

2. Ubinam locorum floruerint frequentes tunc possessiones et ecclesiae parochiales et quae ex his subin populationibus hostium et vicissitudinibus temporum desolatae interierint, aut vero in classem vicorum praediorumque reciderint?

3. Quantum singuli earundem ecclesiarum plebani alique beneficiati titulo decimae papalis praestiterint? ex quibus praestationum ratis simul combinari aut collimari potest: quisnam fuerit tunc illarum ecclesiarum status et reditus, quae item earundem frequentia seu impopulatio.

Quibus disquisitionum resultatis sicut ad antiquam dioecesium geographiam et historiam illustrandam complura notatu digna suppeditari data et additamenta, ita etiam indagandis ecclesiarum parochialium incunabulis aut vestigiis haud parum lucis affundi, nemo harum rerum peritus diffidebitur

Unde scriptores quoque patrii ecclesiarum seu episcopatum regni nostri historias lucubantes, ad adumbrandam antiquam dioecesium imaginem, Regestra decimarum papalium, illis in dioecesibus collectarum, suis operibus inserenda et vulganda censuere. Ita vulgarunt Regestra: Archi-Dioecesis Colocensis Georg. Pray et Steph. Katona, Dioecesis M.Varadiensis Pray et J.Aloys. Kereszturi, Dioecesis Veszprimiensis Pray et Mich. Szvorényi, Dioecesis Quinqueecclesiensis Jos. Koller. Demum inter monumenta historica Hungariae complura fragmenta Regestrorum de ecclesiis seu dioecesibus Hungariae edidit August. Theiner. Recentissime vero Schematismo Archi-Dioecesis Agriensis anni 1863 praefixum et vulgatum est Regestrum ejusdem Dioecesis, ast non integrum, sed illi solummodo Archidiaconatus sunt e Registro excerpti, qui actu Archi-Episcopatum Agriensem constituunt. Reliqua Regestri loca, utpote ad Dioecesim Cassoviensem et Szathmárinensem spectantia, ad easdem dioeceses sunt relegata. Unde res ipsa postulare videtur, ut opus in Archi-Dioecesi Agriensi inceptum apud nos quoque continuetur, et hujus Regestri pars complectens parochias ad Dioecesim Szathmárinensem spectantes Schematismo nostro inseratur.

§. 2.

HIATUS REGESTRI DIOECESIS AGRIENSIS QUOAD CERTAS EPISCOPATUS SZATHMÁRINENSIS PARTES.

Licet autem Episcopatus Szathmárinensis, qui anno 1804 erectus est, ex peramplae Dioecesis Agriensis sequentibus quinque Archidiaconatibus: nimirum Szathmárinensi, Bereghiensi, Maramarosiensi, Ugocsaensi et Unghensi, per totidem cognomines provincias diffusis, coaluerit: non tamen omnes hi Archidiaconatus in Registro dioecesis Agriensis occurrunt, solum Bereghiensis seu Borsvaensis, Unghensis, et parochiae in Comitatu

[11]

Maramarosienſi ſitae; Archidiaconatus autem Szathmárinenſis et Ugocſaenſis deſunt, licet aliquae parochiae in his etiam comitatibus ſitae in dicto Regeſtro annotatae occurrant. Ratio huius rei eſt, quod hi duo Archidiaconatus, epocha decimarum papalium, ad Epiſcopatum Tranſſylvaniensem pertinuerint, adeoque decimae papales de his Archidiaconatibus Eccleſiae Tranſſylvaniensis collectoribus perſolutae, et parochiae horum Archidiaconatum Regeſtro huius Eccleſiae illatae fuerint. Unde hiatus hi ex Regeſtro Dioeceſis Tranſſylvaniensis ſupplebuntur.

Sed hic notari debet, in his duobus Archidiaconatibus, ſicut et in Provincia Maramarosienſi, de competentia juris dioeceſani inter Epiſcopos Agrienſem et Tranſſylvaniensem ſaepe quaestionem et contraverſiam fuiſſe obortam. Unde ad antiquum Archidiaconatum ſtatuti et contraverſiarum his in Archidiaconatibus reſpectu juris dioeceſani enatarum meritum diſquirendum juvat hic quaeſiam de his Archidiaconatibus praemittere.

§. 3.

ARCHIDIACONATUS BEREGHIENSIS & UNGHENSIS.

Hos duos Archidiaconatus, qui etiam in Regeſtro Dioeceſis Agrienſis connotati ſunt, jam a tempore foundationis Epiſcopatus Agrienſis continuo ad eundem pertinuiſſe, nullum poteſt oriri dubium. Id ſolum hic notandum venit, quod Archidiaconatus Bereghiensis ſub hac nomenclatione ſemel ſolum in Regeſtro occurrat, et in aliis Regeſtri locis parochiae Bereghienses ſub Archidiaconatu de Borsva inductae compareant, qui Archidiaconatus praeter Comitatum Bereghiensem magnam quoque hodiernae provinciae Szabolcsienſis partem acta ad Archi-Epiſcopatum Agrienſem ſpectantem ſinu ſuo complectebatur. Unde merito poteſt inferri, Archidiaconatum Bereghiensem ſub nomine Borsva comprehenſum, et cum

[12]

illo unum eundemque fuisse tanto magis, quod in confinio Comitatus Bereghiensis exstiterit castrum Borsva¹, a quo sicut juxta opinionem Caroli Szabó Comitatus de Borsva, qui Comitatus sub hoc nomine adhuc initio seculi XIII. exstitit², ita etiam Archidiaconatus hic nomen accepit. Juxta connotationes manuscriptorum Josephi Nováky lectoris et canonici agriensis „Memoria Dignitatum et Canonorum Cathedralis Ecclesiae Agriensis” intitulatas, quae in archivo dioecesano asservantur, Archidiaconatus de Borsva sub hoc nomine usque ad annum 1416 frequenter recurrit. Sed postea haec nomenclatio exolevit, et Archidiaconatus hic iterum Bereghiensis appellari coepit.

§. 4.

ARCHIDIACONATUS MARAMAROSIENSIS.

Archidiaconatus hic jam Transsylvaniensi jam Agriensi Episcopatu suberat, et uterque episcopus jurisdictionem sibi in eo vindicabat, atque hinc contraversia inter Andream Agriensem et Petrum Transsylvanensem Episcopos enata est, quae per Andream III. Regem in favorem Petri decisa, et terra Maramaros Episcopatu Transsylvaniensi adjudicata fuit.³ Juxta tenorem litterarum adjudicatoriarum terra Maramaros vocata jam

¹ Castrum hoc tempore adventus majorum nostrorum jam exstitisse, et per eos expugnatum destructumque fuisse, perhibet Anonymus Belae regis notarius (cap. XIV, apud Endlicher Rer. Hungaricar. Monumenta Arpadiana. pag. 16.). Sed postea reaedificatum erat; nam juxta Joannem Jerney ad annum 1251. occurrit Castrum Borsua (Magyar Nyelvkincsek. Pest. 1854. pag. 19.)

² Béla király névtelen jegyzőjének könyve. Pest, 1860, pag. 22.

³ Antonii Szeredai Series Antiquor. et Recentior. Episcoporum Transilv. A. Carolinae. 1790. pag. 53.

antea inter limites et terminos Dioecesis Transsylvaniensis erat, et Episcopus Agriensis licentiam jure dioecetano in hac provincia utendi ab Andrea III. rege minus legitime obtinebat. Quam licentiam rex revocans, jus dioecetatum Ecclesiae Transsylvaniensi adjudicavit seu restituit, et ejusdem Ecclesiae Episcopum in possessionem hujus juris per Mathiam sacerdotem et capellanum regium introduci fecit.

Hoc tamen non obstante Andreas Episcopus Agriensis jus suum titulo donationis regiae in hanc provinciam acquisitum praetendens, Episcopum Transsylvanensem anno 1300 ad octavas Epiphaniarum citari, et perceptionem decimarum eidem in hac provincia inhiberi curavit. Contra quam citationem et inhibitionem Nicolaus Archidiaconus de Zonuk, Canonicus Ecclesiae Transsylvaniensis, et ejusdem Ecclesiae Episcopi Notarius, nomine ejusdem coram Conventu Albensi Ord. P. Heremitarum S. Augustini protestatus, Romam ad Sedem Apostolicam appellavit.¹

Quo dein successu lis haec terminata fuerit, non constat. Videtur tamen Episcopus Agriensis praevaluisse, et provincia haec ad Dioecesim Agriensem accessisse; nam annis 1331 et 1332 Georgius Archidiaconus de Maramarus expeditioni Capituli Agriensis insertus legitur,² manifesto indicio, quod sicut Archidiaconus de Maramarus canonicus Ecclesiae Agriensis fuerit, ita etiam provincia haec ad eandem Ecclesiam pertinuerit. Hoc ipsum indicat factum collectionis decimarum papalium, quo decimae hae ex Comitatu Maramarosiensi collectoribus Ecclesiae Agriensis persolutae, et parochiae hujus comitatus Registro dictae Ecclesiae inductae fuere.

Sed quod provincia Maramarosiensis reipsa in jus dioecetatum Episcopatus Agriensis devenerit, clare docent

¹ Ibidem pag. 55. et 56.

² Fejér Codex Diplomat, t. VIII vol. III. pag. 543. et 652.

[14]

authenticae Capitali Agriensis literae feria tertia proxima ante festum B. Margarethae virginis et martyris anno 1346 exaratae in hunc sensum: Quod Dominus Benedictus Rector Ecclesiae de Zygeth, Domini Nicolai Episcopi Agriensis Vicarius in Maramarosia, districtu scilicet Dioecesis et Jurisdictionis praedictae Ecclesiae Agriensis, in praesentia capituli et Fr. Salamonis Gardiani ac Stephani Minorum et Blasii Lectoris ac Jacobi Fr. Ord. Heremitarum S. Augustini de Conventibus Agriensibus pro testimonio evidentiori adductorum una cum Domino Georgio Rectore Ecclesiae de Vysk ejusdem districtus personaliter constitutus proposuerit: quod licet ipse temeritate ductus, et etiam per metum coactus Episcopum Transilvanum in eundem districtum potentialiter absque omni juris ordine intrantem, et in eodem discurrentem, pontificaliaque officia violenter de facto exercentem associasset, proptereaque beneficio, et officio, ac omnibus bonis suis privari, et perpetuo carceri mancipari debuisset; ipse tamen Dominus Episcopus agens gratiose cum eodem, nullo modo eundem punivisset, nec aliquam pecuniam ab eodem recepisset, solum de hoc certificari voluisset, ne in futurum talia committeret. Assumpsit igitur et se, ac suum beneficium, omniaque bona sua mobilia et immobilia ubicunque consistentia ad hoc firmiter obligavit, et etiam super eo observando juravit, tacto codice sacri Evangelii corporaliter: ut amodo deinceps ipsi Domino Episcopo, tamquam vero et legitimo suo Dioecesano, debitam obedientiam, debitaque devotionis reverentiam, totiusque fidelitatis constantiam observabit, nec Episcopo Transilvano aut alicui alteri Praelato adhaerebit. In casum contrarium subiecit se poenae perjurii et simoniae excommunicandum, et perpetuo carceri Ecclesiae B. Johannis Agriensis mancipandum. Similiter etiam praedictus Dominus Georgius Rector Ecclesiae de Vysk tacto sacro Evangelio juravit super eo, quod ipsum Dominum Benedictum ad

[15]

observanda praemissa toto posse induceret, et quod quaecumque senserit ipsum in praemissis vacillare, ipsi Domino Episcopo intimabit¹. Unde apparet, quod provincia haec non solum juri dioecetano Episcopatus Agriensis subjecta fuerit, sed quod Episcopus Agriensis ibidem etiam vicarium habuerit; licet Episcopus Transsylvaniensis praetensionem suam potentia mediante effectuare voluerit, et Pontificalia ibidem de facto exercuerit.

Licet annis 1331 et 1332 Georgius Archidiaconus de Maramaros scribatur, tempore tamen collectionis decimarum papalium, annis nimirum 1333 et sequentibus videtur ibidem non fuisse Archidiaconus; nam parochiae hujus provinciae sine titulo Archidiaconatus sunt Registro inductae. Nec ulla, ut etiam Josephus Nováky in suis connotationibus manuscriptis superius citatis observat, deinceps occurrit mentio hujus Archidiaconatus usque progressum seculi XVIII., sed ejus loco in aliquibus documentis Vicarii leguntur. Cujus rei ea videtur fuisse ratio, quod Archidiaconatus in Vicariatum fuerit evector, ut nimirum Vicarius majori jurisdictione et autoritate provisorius in provincia tam procul a sede episcopali dissita vicem episcopi gerere, et ejus jura contra praetensiones Episcoporum Transsylvaniae efficacius tueri possit.

§. 5.

ARCHIDIACONATUS SZATHMÁRINENSIS.

Hunc Archidiaconatum, qui Registro Dioecesis Transsylvaniensis inductus est, ad eandem Dioecesim pertinuisse, jurisdictionique Episcoporum Transsylvaniae subjectum fuisse, non solum factum collectionis decimarum papalium innuit, quo parochiae hujus Archidiaconatus inter

¹ Fejér Codex Diplomat. tom. IX. vol. I, pag. 426.

parochias Episcopatus Transsylvaniensis connumeratae fuere; verum etiam complura antiquitatis documenta indicant, ex quibus apparet, Episcopos Transsylvaniæ in hac provincia jura episcopalia exercuisse, et Archidiaconos hujus provinciae una simul canonicos Ecclesiae Transsylvaniensis fuisse. Brevitatis causa sufficiat provocare ad litteras Andreae Episcopi Transsylvaniæ, quibus anno 1322 admisit, ut ad augendum cultum divinum in villa Comitatus Szathmárinensis Chengeer dicta sine praejudicio Ecclesiae parochialis Beatae Margarethae alia capella lignea aedificari possit¹); et ad acta generalis congregationis ad octavas festi B. Martini confessoris anno 1342 Thordae celebratae in quibus Bulchu Archidiaconus de Zothmar una canonicus Ecclesiae Transsylvaniensis scribitur²). — Hoc ipsum clare affirmat etiam Daniel Fancsaly, qui inter 13 Archidiaconatus, ex quibus Episcopatus Transsylvaniæ olim constabat, recenset etiam Archidiaconum Szathmárinensem³.

Licet autem Archidiaconatus hic juri dioecetano Episcopatus Transsylvaniensis paruerit, eo tamen non obstante aliquae parochiae hujus provinciae uti Rivulus Dominarum (Nagy-Bánya, Frauenbach), Medius mons (Felső-Bánya Mittelberg), Lapos-Bánya, Szinyér-Váralja (Pedemontum) etc. in Registro Dioecesis Agriensis recurrant manifesto indicio, quod istae parochiae ab Archidiaconatu hoc exemptae fuerint, et ad Episcopatum Agriensem spectaverint. Et re ipsa aliqua jurisdictionis per Episcopos Agrienses in has parochias exercitae occurrunt exempla et documenta. Ita in specie Thomas Episcopus Agriensis solennem conventionem inter plebanum et iudices civitatis

¹ Szeredai Series Antiquor. et Recentior. Episcopor. Transsylv. pag. 72.

² Szeredai Notitia Veter. et Nov. Capit. Transsylv. A Carolinae. 1791. pag. 38.

³ Memoria Episcopat. Transsylv. Claudiopoli. 1845. pag. 4.

[17]

Rivuli Dominarum anno adhuc 1387 initam, et antiquas hujus plebaniae consuetudines complexam, anno 1422 confirmaverat, et in nexu hujus ordinaverat, ut plebanus hujus civitatis unum illuminatum praedicatorum et undecim honestos capellanos servet, qui divina officia ad Ecclesiam parochialem S. Stephani peragere teneantur¹. Quae ostendunt, Episcopos Agrienses in aliquibus hujus provinciae partibus jurisdictionem dioecesanam exercuisse.

Posteaquam vero Episcopatus Transsylvaniae articulis comitiorum anno 1556 circa Dominicam Oculi in Szász-Sebes celebratorum, bonis ejus ademptis et ad fiscum regum redactis, sublatus fuisset, nec sub principibus patriis a fide catholica alienis restabiliri potuisset; haec provincia a jure dioecetano dicti Episcopatus avulsa et pastore destituta per Episcopos Agrienses, quantum turbulentus rerum status admittebat, providebatur. Tandem Turca ex arce Agriensi circa finem anni 1687 expulso, et Episcopatu Agriensi pristino statui restitute, haec provincia una cum Archidiaconatu integre ad ejusdem Episcopatus jurisdictionem dioecesanam accessit.

§. 6.

ARCHIDIACONATUS UGOCSAENSIS.

Competentiam juris dioecetani in hac quoque provincia contraversam fuisse, plura indicant documenta. Provinciam hanc ad Episcopatum Agriensem pertinere debuisse, inferri posset ex tenore literarum Belae IV. et Stephani V. regum Hungariae quibus veteres Ecclesiae Agriensis possessiones et libertates recensentur et confirmantur; nam juxta tenorem literarum Belae IV. decimas Comitatum UgoCSa et Beregh jam Bela III. et Andreas II. reges Hungariae con-

¹ Fejér Codex Diplomat, tom. X. vol. VI. pag. 490.

tulerunt Ecclesiae Agriensi, quas donationes etiam Bela IV.¹ et Stephanus V.² confirmarunt. Jam vero Episcopi de jure decimas solum intra limites suarum Dioecesium, in illis duntaxat Comitatibus habebant, qui suae juriadictioni ecclesiasticae suberant.

Ast cum juxta continentiam literarum Ladislai IV. regis Hungariae decimae Comitatus Ugocsaensis jam ante donationes Ecclesiae Agriensi factas de jure ad Episcopatum Transsylvaniensem pertinuerint, et per praedictos reges pro his decimis instar cambiï vel recompensationis dicto Episcopatu Transsylvaniensi nihil collatum fuerit; praedictus rex anno 1288 has decimas reddidit et restituit dicto Episcopatu Transsylvaniensi cum omni integritate secundum quod aliae decimae in Dioecesi dicti Episcopatus pro eodem Episcopatu exigi consueverunt ab antiquo³. Nulla quidem in his literis fit mentio praetensionis Episcopatus Agriensis, cui juxta prius provocatas literas hae decimae collatae erant; sed id solum dicitur, quod Magister Kopoz easdem decimas suggesta falsitate et oppressa veritate a rege sibi conferri postulaverit. Qui literarum tenor supponere aut innuere videtur, quod sententia in hujus rei merito in favorem Episcopatus Transsylvaniensis contra Agriensem jam antea lata fuerit, et dictus Magister Kopoz terminatam hanc litem pro parte sui resuscitans praedictum Episcopatum iterum impetierit, quaestionatasque decimas aliquo praetensionis titulo sibi conferri voluerit; contra cujus praetensiones praedictus Episcopatus his literis in turbato decimarum jure securus redditur, dictoque Magistro. Kopoz et cuilibet alteri super quaestione harum decimarum perpetuum silentium imponitur.

¹ Fejér, Codex Diplomat, tom. IV. vol. III. pag. 43.

² Ibid. tom. V. vol. I. pag. 157.

³ Katona. Histor, Crit, Reg, Hung, tom. VII. pag. 980.

Quidquid sit, certum est, cum jure decimarum jus quoque dioecesanum in hoc Archidiaconatu Episcopatus Transsylvanienis fuisse obnoxium; nam tempore collectionis decimarum papalium parochiae hujus Archidiaconatus inter parochias Ecclesiae Transsylvaniensis erant connumeratae, et Daniel quoque Fancsaly hunc Archidiaconatum illis 13 Archidiaconatibus adnumerat, ex quibus olim Episcopatus Transsylvaniae constabat¹. Imo plures Archidiaconi, nonnunquam etiam Vice-Archidiaconi, de Ugocsa fuerunt simul Vicarii generales Episcoporum Transsylvaniae⁹ Nominatim sequentes Archi- et Vicearchidiaconi Ugocsaenses hac vicariatus provincia functi fuisse leguntur: Demetrius Vice-Archidiaconus anno 1301³, Thomas Archidiaconus anno 1321, Mathias de Losoncz Archidiaconus anno 1538⁴.

Licet autem decimae hujus Comitatus una cum jure dioecetano Episcopatus Transsylvaniae adjudicatae et restitutae fuerint: non tamen videntur Episcopi Agrienses suis in hanc provinciam juribus ex integro renunciasse; et competentia jurisdictionis ecclesiasticae et juris decimae in hac provincia saepius contraversiarum materia exstitit. Quamvis enim Archidiaconatus hic, utpote ad Episcopatum Transsylvaniae spectans tempore collectionis decimarum papalium Registro Ecclesiae Transsylvaniensis inductus

¹ Memoria Episcopatus Transsylv. pag. 4.

² Episcopi Transsylvaniae duos olim habebant Vicarios Generales: alterum Albensem, et Tasnadiensem alteram, qui saepe etiam de juxta Meszes compellabatur, quique vices Episcopi in partibus Hungariae, Dioecesi Transsylvaniae adnexis, et a sede Episcopi remotius dissitis, gerebat. Et hujus posterioris vicariatus munere fungebantur Archidiaconi Ugocsaenses, licet etiam inter Vicarios Albenses occurrat Ladislaus Archidiaconus de Ugocsa, qui hoc munere ab anno 1365—1373 functus fuerat. (Fancsaly operis cit. pag. 42.)

³ Notitia Comitatus Ugochien. Pestini. 1805, pag. 29.

⁴ Fancsaly oper. cit. pag. 41 et 42.

fuerit: occurrit tamen Vice-Archidiaconus Ugocsaensis cum aliquot parochiis etiam in Regestio Dioecesis Agriensis manifesto indicio, quod aliqua hujus provinciae pars sub jurisdictione Episcopatus Agriensis permanserit, aut Episcopi Agrienses jus sibi in eam praetenderint. Subsequiore autem aevo videntur et Episcopi Agrienses jura sua revindicasse, et insuper Episcopi etiam Varadienses jurisdictionem in hanc provinciam sibi arrogasse. Anno quippe 1459 juxta relationem Antonii Szirmay lis enata erat in causa decimarum Comitatus Ugocsaensis inter Ladislaum Agriensem, et Joannem M. Varadiensem Episcopos, quae in favorem Episcopi Agriensis fuit decisa, cui rex Mathias proprietatem decimarum addixit, et ejus executionem Conventui de Lelesz demandavit¹. Anno 1551 referente eodem Antonio Szirmay Georgius Martinusius Episcopus Varadinensis subjugatam hanc provinciam Dioecesi suae adjunxit². Anno autem sequenti provincia haec iterum jurisdictioni Ecclesiae Transsylvaniensis subjecta et decima inde ejusdem Ecclesiae Capitulo persoluta fuisse videtur ex literis Matthaei Batay Archidiaconi Ugocsaensis et Canonici Ecclesiae Transsylvaniensis³. Tandem Episcopatu Transsylvaniae sublato et turca ex arce Agriensi circa finem anni 1687 expulso haec quoque provincia ad Episcopatus Agriensis jurisdictionem dioecesanam rediit⁴. Hoc unum adhuc hic notandum venit, quod aliquae harum partium parochiae a jure dioecesano Episcopatus Agriensis absolutae, tardius ad jurisdictionem Archiepiscopatus Strigoniensis accesserint, et in classem sic dictarum parochiarum exemptarum relatae fuerint⁵. Digressionem hac de

¹ Ant. Szirmay op. cit. pag. 29.

² Ibidem.

³ Szirmay op. cit. pag. 30.

⁴ Ibidem.

⁵ Péterffy Sac. Concilia Hung. Posonii 1792. II. pag. 268.

Archidiaconatibus facta, transeamus ad Decimas papales sexennales.

7.

DECIMAE PAPALES SEXENNALES.

Decimae hae impositae erant per Clementem V. Pontificem in Concilio Viennensi annis 1311 et 1312 celebrato de omnibus redditibus et proventibus ecclesiasticis ubicunque existentibus in subsidium terrae sanctae et pro necessitatibus camerae pontificiae solvendae¹. Sexennales dicebantur eo, quod per sexennium seu per continuos sex annos fuerint praestandae.

Jam antea etiam taxabantur beneficia ecclesiastica, sed solummodo vacantia, ea nimirum ratione: ut dimidia pars de fructibus illius anni, quo beneficia illa vacare contigit, cederet camerae apostolicae, prout hoc patet ex Rationibus sen Computu Rufini horum fructuum in Hungaria anno 1317 collectons apostolici². „Haec hactenus obtinebant, inquit Prayus, deinceps commutata est ratio, et non solum ex vacantibus, sed universis beneficiis, quin ab iis etiam, quibus beneficia curata non erant; modo in ecclesiastico obsequio fuerint, decima reddituum pars Caroli Roberti indultu accepta est. Credibile est Carolum regem, quo Pontificibus, istorum enim studio regnum inter aemulos divisum tandem adeptus est, gratiam aliquam referret, id non invitum admisisse”³.

Sed alia quoque videtur fuisse ratio, cur Carolus rex collectionem hujus decimae non tantum non invitum admiserit, sed etiam urserit. E literis quippe Joannis XXII. Ponti-

¹ Fleury Historia Eccl. Aug. Vindelicor. 1766. torn. XXII. lib. XCI. pag. 756. — Theiner Vet. Monument Histor. Hung. Sac. torn. I. pag. 556.

²Theiner collectionis cit. tom. I. pag. 451.

³ Annal. Reg. Hung. II. pag. 13.

ficus anno 1332 1. Junii ad Carolum regem et ad collectores harum decimarum datis patet, quod Pontifex tertiam partem harum decimarum in regno Hungariae collectarum aut colligendarum ex largitione apostolica Carolo regi obtulerit, non quidem in suos usus, verum ad defensionem regni, et regnicolarum christianorum contra schismaticos et infideles convertendam¹

Licet autem decimae hae in Concilio Viennensi annis supradictis celebrato fuerint impositae, tamen post longam moram ad iteratas provocationes et admonitiones anno non-nisi 1332 coeperunt in regno Hungariae et provinciis eidem subjectis praestari. Aliqua quidem hujus decimae pars in aliquibus ecclesiis jam antea videtur collecta fuisse; nam Joannes XXII. Pontifex in literis anno 1331 1. Martii ad Praelatos Hungariae datis, quibus eosdem ad praestandas dictas sexennales decimas provocat, dicit praedictam decimam vel ex toto vel ex parte restare in regno Hungariae colligendam². Et Regestrum Dioecesis Agriensis nonnisi de anno 1333 incipit conscribi, qui Regestri hiatus innuere videtur, hanc unius anni decimam de praedicta Ecclesia jam antea fuisse collectam. Sed haec decimae collectio, quae ante annum 1332 incepta, et iterum intermissa fuisse videtur, erat solum particularis de aliquibus Ecclesiis; universalis collectis in omnibus regni Ecclesiis anno solum 1332 sumsit initium. Neque videtur clerus Hungariae adeo promptus fuisse in praestanda hac decima, quod praeter longam illam 20 annorum moram, quae intercesserat inter edictum Concilii Viennensis, quo haec decima imposita fuerat, et inter executionem hujus edicti, quae anno 1332 coepit effectuari, indicant etiam literae Joannis XXII. Pontificis anno 1331 1. Martii et anno 1332 1. Aprilis ad Praelatos Hungariae

¹ Theiner. Collect. cit. tom. I. pag. 555.

² Ibidem pag. 536.

datae, quibus eosdem iterato provocaverat et admonuerat, ut praedictam decimam sub poenis interdicti, suspensionis et excommunicationis sine difficultatis obstaculo praestare festinent¹. Imo praedictus Pontifex etiam Carolum regem Hungariae et Thomam vajvodam Transsylvaniae datis ad eosdem Uteris, requisiverat, ut collectoribus harum decimarum faveant, et nullum eis obstaculum interponi sinant².

His tamen non obstantibus merito potest dubitari, utrum haec decima de toto sexennio integre collecta fuerit; cum hujus collectio juxta Regestrum Dioecesis Agriensis in hac Dioecesi jam anno 1335, in Dioecesi vero Transsylvaniensi anno 1336 desiisse videatur et Carolus rex Hungariae anno adhuc 1338 datis ad universos Ecclesiarum regni Hungariae Praelatos literis, clerum ad praestandam hanc decimam provocaverit et graviter urserit³, manifesto indicio, quod certa pars de hac decima adhuc persolvenda restiterit. At intermissa hujus decimae collectio utrum ad has provocatorias literas iterum continuata fuerit, et quo successu, non constat. Ceterum neque triennio isto, de quo Regestrum Dioecesis Agriensis conscriptum est, decimas in hac Dioecesi rite fuisse praestitas, patet vel collectione harum decimarum de anno 1335, in qua complura occurrunt beneficia annotata, de quibus praescripta decima non fuerat persoluta.

§. 8.

COLLECTORES HARUM DECIMARUM.

Ad colligendas has in regno Hungariae et in provinciis eidem subjectis decimas a Joanne XXII. Pontifice anno 1331 1. Martii deputati fuere Jacobus Berengarii operarius monasterii Grassensis, ordinis S. Benedicti et Raymundus

¹ Ibidem pag. eadem et 550.

² Ibidem pag. 551.

³ Fejér Codex Diplomat, tom. VIII. vol. IV. pag. 319.

de Bonofato rector ecclesiae oratorii S. Michaelis de Dioecesibus Carcassonensi et Lemovicensi, apostolicae sedis nuntii, qui habuere et facultatem alios etiam pro diversitate et extensione Dioecesium collectores seu subcollectores eligendi, delegandi, aut revocandi mutandi et alios eis subrogandi¹ His collectoribus et subcollectoribus erat a sede apostolica indultum, ut renitentes a sententiis suspensionis et excommunicationis, quas propter denegatas decimas incurrerint, post plenam satisfactionem, seu decimarum persolutionem absolvere possint².

Subcollectores per supradictos pontificios collectores deputati in Dioecesi Agriensi de annis 1333 et 1334 fuere magistri Joannes Vitus et Joannes Dominicus seu Domonkos; de anno vero 1335 Joannes Vitus, Joannes Gaspari et Joannes Duen³. — In Dioecesi autem Transsylvaniensi magistri Benedictus Archidiaconus de Telegd et Thomas custos Ecclesiae Transsylvaniae⁴.

§. 9.

TERMINUS PRAESTANDAE ET MODUS COLLIGENDAE HUIUS DECIMAE.

Decima haec solvebatur singulis annio in duabus ratis, seu in duobus terminis ita, ut medietas de hac decima in

¹ Theiner Collect. cit. tom. I. pag. 537.

² Ibid. pag. 538.

³ In nomine hoc probabilius erronee scripto latere videtur Dévényvel Demény.

⁴ Cujusnam conditionis vel officii fuerint hi subcollectores pro certo non constat. Scribunt quidem se magistros, sed titulus hic erat genericus, ex hoc officium eorum erui haud potest. Ecclesiasticos tamen viros, et quidem Dioecesis Agriensis presbyteros fuisse, patet ex Registro anni 1335, ubi scribunt: „Dominus noster Episcopus Agriensis Ecclesiae solvit nobis in Octavis Epiphaniae Domini 322 Marcas minus 10 Grossis”.

primo, altera medietas in secundo termino persolveretur. In literis Joannis XXII. Pontificis anno 1331 1. Martii ad Praelatos regni Hungariae datis pro solutionis terminis assignatae fuere festivitates Ascensionis Domini, et Omnium Sanctorum³; ast in Regestris recurrunt etiam alii solutionum termini.

Sicut parochiae recensentur in Regestris juxta seriem Archidiaconatum, in quibus fuerant sitae: ita etiam collectio decimae fiebat archidiaconatim ita, ut collectores vel subcollectores ipsos Archidiaconatus adiverint, et ibi statis locis et diebus beneficiati respectivorum Archidiaconatum personaliter comparere debuerint ad persolvendas suarum taxarum ratas. Qui vero infirmitate aut alia causa impediti comparere nequiverant, debitas suas ratas per alios miserant collectoribus resignandas, prout hoc innuunt annotatae in Regestris nonnullorum impeditorum excusationes. Notandum tamen quod non omnes beneficiati in singulis collectionum terminis comparuerint, neque suas ratas miserint; sed complures eorum in uno alioque collectionis termino semet absque omni excusatione absentasse, in altero autem adfuisse comperiantur. Hinc videntur Regestra de singulis annis et collectionibus vulganda esse, ut integer plenusque obtineri posait catalogus omnium illarum parochiarum, quae epocha hujus decimae exstiterant.

In connotandis vero his decimarum collectionibus majori ex parte servatur ordo geographicus: eodem nimirum ordine connotantur collectiones hujus decimae, quo ordine geographico in tractibus Archidiaconatum excipiunt semet parochiae, qui tamen ordo nonnunquam perturbatur, et fit saltus, seu repentinus transitus ex una archidiaconatas parte ad aliam.

¹ Theiner loc. cit. pag. 537.

§. 10.

CLAVIS EJECT ANDAE HUIUSDECIMAE.

Hac in re illa videtur clavis seu praxis obtinuisse: ut concernentes beneficiati suorum beneficiorum redditus faterentur; hi dein redditus juxta eorundem valorem aestimarentur, et secundum hanc aestimationem decima eorum pars in parata pecunia relueretur. Ubi vero harum fassionum fides suspecta fuisset, ibi respectivi beneficiati easdem etiam juramento debuerant probare; ideo recurrit in Registro Dioecesis Agriensis saepius haec nota: „juratus solvit”.

Ex annotatis in Regestris harum taxarum ratis videntur quidem complura beneficia tunc exiguos habuisse redditus; sed hic advertendum, quod olim sicut pecunia longe alium habuerit valorem: ita etiam res ad victum et amictum necessariae longe viliori venerint pretio ac hodie, ita ut antiquum illud rerum pretium cum moderno nec comparari queat, prout hoc patet vel ex Registro Proventuum Regalium de anno 1494¹

§. 11.

EXEMPLARIA REGESTRORUM NOSTRORUM.

Manuscriptum seu copia Regestri Dioecesis Agriensis in archivo dioecesano Archiepiscopatus Agriensis in duobus exstat exemplaribus, quae alia et alia manu sunt ex originali archivi secretioris vaticani descripta, quorum alterum est per Josephum Garanium dicti archivi praefectum recognitum et propria nominis subscriptione et sigilli adjectione authenticatum anno 1771 13. Augusti; alterum vero tantum simpliciter absque his solennitatis requisitis descri-

¹ Engel, Geschichte des ungarischen Reichs und seiner Nebenländer. Halle. 1797. tom. I. pag. 47—180.

ptum. Tertium autem exemplar hujus Regestri, quod ex aliqua authentica dicti originalis copia description esse videtur, exstat in Collectione Prayana, quae in bibliotheca Universitatis Pestanae asservatur. — Manuscriptum Regestri Dioecesis Transsylvaniensis in unico solum exemplari est prae manibus nostris, quod aequè ex aliqua authentica dicti originalis copia description in Collectione Prayana reperitur.

Haec exemplaria pluribus redundare mendis comperiuntur: scribae nimirum itali, horum exemplarium copiatores, linguae et antiquae orthographiae nostrae ignari et scripturam longo temporum usu detritam legere nequeunt, complura locorum nomina detorserunt, et in eis describendis hand paucos errores commiserunt; qui errores orti fuisse videntur ex mala vocabulorum lectione et vel maxime literarum per-mutatione. Praeprimis sequentes literae secum invicem frequenter permutatae recurrunt: uti **a** cum **o**, **b** cum **v**, **ch** cum **th**, **g** cum **k**, **h** cum **k**, **m** cum **w**, **n** cum **u**, **S** cum **Z**, **sc** cum **sz** etc.

His tamen non obstantibus haec quoque copiarum exemplaria, in defectu originalis, pro fontibus haberi, et eorum errores ex combinationibus geographicis, et antiquioribus documentis corrigi possunt. Haec igitur exemplaria nobis pro fontibus inservient, ita tamen, ut eorum errores — in quantum fieri poterit — corrigantur, et mendose vel antiquo more scripta locorum nomina intra parentheses secundum modernam orthographiam et prononciationem annotentur.

Ut autem eo majus momenti huic rei accedat, et hinc nostra etiam antiquae geographiae et historiae literatura aliquid incrementi aut supplementi accipiat, una simul loca seu plebaniae in his Regestris connotatae indagantur, et brevibus annotationibus ex antiquioribus aut epochae collectionis harum decimarum coaevis diplomatibus, aliisque documentis, item historicis eruditorum operibus desumptis dilucidantur, et quodam modo rectificantur, et si quae his in fontibus de illis

locis nostro sub respectu notata digna occurrant, ea breviter attinguntur.

His ad uberiorem Archidiaconatum Dioecesis nostrae et decimarum papalium de eis collectarum notitiam praemissis, jam sequuntur ipsa Regestra, seu Regestrorum fragmenta Dioecesim nostram concernentia, ita, ut haec fragmenta primo ex Agriensi, dein ex Transsylvaniensi Regestris excerpantur:*)

„Ex Libro Rationum recepti et expensi ab Anno 1332 ad 1337 per Collectores jurium Camere Apostalice et nuncios Ap. Sedis in Hungaria et Transilvania ad exactionem Decime Sexennialis autoritate apostolica indicte deputatos.

REGISTRUM TRIUM ANNORUM DE DIOECESI ET ECCLESIA
AGRIENSI.

Item notandum istud est Registrum Magistrorum Johannis Viti et Johannis Dominici de Ecclesia supradicta.

Hec sunt nomina Sacerdotum, qui solverunt Decimas Domini Pape 2-di anni¹ de Archidiaconatu Hungen (Hungensi, Hung, Ung):

Et primo Dominus Benedictus de Kopus (Kapus)² Juratus solvit 48 Grossos.

*) In his Regestris, et in adnotationibus eisdem adjectis sequentes recurrunt abbreviations:

| It. | significat | Item | solv. | significat | solvit |
|-------|------------|----------|--------|------------|---------|
| Jur. | „ | Juratus | Gross. | „ | Grossos |
| Pleb. | „ | Plebanus | Marc. | „ | Marcas |
| Sac. | „ | Sacerdos | h. | „ | hodie |

¹ Anni 1333, Registrum primi anni. id est anni 1332 deest.

² Kopus, ut praedium a Boleslao Episcopo Vaciensi Praepositurae de Lelesz collatum, occurrit jam anno 1214 in literis Andreae II. regis, quibus haec collatio confirmabatur. (Fejér Cod. Diplomat, tom. III. vol. I. pag. 155.)

Item Johannes de Checher (Csicsér)¹ Jur. solv. 8 Gross.

Hec sunt nomina Sacerdotum de eodem archidiaconatu non jurati (sic) sed jurandi:

Primo Stephanus de Palandg (Palágy) misit per Vicearchidiaconum suum Dominum Petrum de Patova (hodie Batfa) 14 Gross.

It. Abraan de Zeretua (Szeretva)² misit Jur. 10 Gross.

It. Gregorius de Tornocz (Tarnocz)³ misit similiter 12 Gross.

It. Martinus de Tuba (Tiba) misit similiter 9 Gross.

It. Paulus de Zeaczlocz (Csaszlocz) misit 10 Gross.

It. Marcellus de Eore (Ör) misit 6 Gross.

It. Paulus de Vetsch (h. Bézs) misit 6 Gross.

It. Petrus de Keriz (Kerész) misit 3 Gross.

It. Andreas de Mathoz (Mátyócz) misit 7 Gross,

It. Andreas de Scurta (Szürthe)⁴ misit 9 Gross.

It. Abraan de Rozka (Ruszka, h. Dobó-Ruszka) misit 24 Gross.

It. Andreas de Zinna (Szenna)⁵ misit 4 Gross.

It. Petrus Vicearchidiaconus Jur. misit 6 Gross.

¹ Chicher, ut villa, occurrit jam anno 1265. (Fejér Cod. Dipl. tom. IV. vol III. pag. 267.)

² Zyrwtha occurrit jam anno 1266 in literis testimonialibus capituli agriensis. (Fejér Cod. Dipl. tom. IV. vol. III. pag. 380.)

³ Tarnocz, ut plebania seu Ecclesia B. Emerici Confessoris, occurrit anno 1348 in literis Nicolai Episcopi Agriensis. (Fejér Cod. Diplom, tom. IX. vol. I. pag. 585.)

⁴ Terra Szurthe in comitatu Vngh occurrit jam anno 1281 in literis testimonialibus capituli Agriensis, ubi forsitan per errorem Struthe scripta comparet. (Fejér Cod. Diplom, tom. V. vol. III. pag. 106.)

⁵ Zenna memoratur in literis Martini Episcopi Agriensis de anno 1319 inter villas juri decimae capituli Agriensis obnoxias. (Fejér Cod. Dipl. tom. VIII. vol. II. pag. 234.)

It. Michael de Hungwar (Ungvár)¹ Jur. solv. 20 Gross.

(Hic post Praeposituram de Mislye et Plebaniam de Göncz, quae sunt in Comitatu Abaujváriensi, immediate absque titulo Archidiaconatus sequuntur aliquot parochiae in partibus Comitatum Szathmár et Maramaros sitae):

It. Henricus de nova Plantatione*) solv. 48 Gross,

It. Johannes de Medio monte (Felső-Bánya)² Jur. solv. 24 Gross.

It. Johannes de Lapus (h. Lapos-Bánya) solv. de fructibus primi anni 3 Marcas Cassenses.

It. Gregorius de Huzth (Huszt)³ de Maramarusio pro parte Ecclesiae solv. 36 Gross, de alia parte tenetur Anthonius, qui nunc est Rector Ecclesie Omnium Sanctorum de Zalank (Salánk), qui nondum solvit.

It. Benedictus Jur. de Thecho (Técső)⁴ solv. 60 Gross.

It. Gregorius de Visk⁵ Jur. solv. 2 Marc. Cassenses.

*) Quisnam hic locus debeat intelligi, haud potest erui, — verisimile solum est, novam hanc plantationem esse Avas - Ujváros, ubi hodie ecclesia antiquissima possidetur ab Helv. conf. addictis.

¹ Hungvár sive Castrum Hung, a quo sicut Comitatus ita etiam Archidiaconatus hic nomen accepit, jam tempore adventus Hungarorum exstitit, et ab eorum gestis celebratur per Anonymum Belae regis notarium, juxta cujus relationem Hungari capto hoc castro, ibi diis immortalibus magnas victimas fecerunt, et convivia per quatuor dies celebrarunt: quarto autem die, inito consilio, dux Almus, ipso vivente, filium suum Arpadium ducem ac praeceptorem constituit. (Endlicher Monumenta Arpadiana Rer. Hung. Sangalli 1849. pag. 15.) Castrum hoc postea a Ca-rolo Roberto majoribus inclytæ et praepotentis familiae Drugeth fuerat collatum, ex quibus Nicolaus vel juxta alios Ladislaus anno 1384 monasterium in honorem SS. Corporis Christi pro ordine S. Pauli fundavit. (Catalogus Monasterior. Ord. S. Pauli. Vacii. 1804. pag. 37.)

² Medius mons erat frequens civitas jam tempore Ludovici L, qui huic una cum Rivulo Dominarum (Nagy-Bánya) anno 1376 amplissimas concessit libertates. (Fejér Cod. Dipl. tom. IX. vol. V. pag. 97.)

³, ⁴, ⁵ Huszth, Tecső et Visk jam ad initium seculi XIV. Errant

Nota, quod Dominus Laurencius Vicarius¹ de Wgachs (Ugocsa) pro Decimis 2-di Anni solv. 24 Gross.

It. Egidius de Bereg de villa Bygan (Bégány h. Nagy-Bégány)² solv. 5 Gross.

It. idem Egidius de Bereg pro quibusdam Sacerdotibus de eodem (scilicet de Beregh) misit 12 Gross.

It. Clemens de Zerne (Szernye)³ et Benedictus de Athia (Atya, h. Vámos-Atya) miserunt 24 Gross.

Collecta prime solutionis tertii anni (anni 1334) Decime Sexennalis Civitatis et Dioecesis Agriensis.

loca, seu oppida notabilia ab hospitibus saxonibus et hungaris inhabitata, quibus Carolus Robertus anno 1329 singulares largitus fuerat libertates et immunitates, in quibus inter cetera puncto 3-o conceditur: ut sacerdotem seu plebanum ad ecclesias eorum parochiales sponte recipiant seu eligant, quem in iisdem ecclesiis non solum usque tempus, sed etiam perpetuo possint conservare; et idem plebanus eorum in suis extremis bona sua et res suas liberam habeat, quibuscunque voluerit, legandi facultatem. Quarto ut iidem hospites seu saxonum et hungari decimam sacerdoti seu plebano debitam in agro relinquunt ex integro. Quinto ut Sacerdotes eorum de quinquaginta fundis integris terras arabiles habentibus, ratione decimarum solvant suo Episcopo dioecesano unam marcam denariorum, tempore currentium in termino consueto. (Fejér cit. op. tom. VIII. vol. III. pag. 354.)

¹ Licet competentia juris dioecesani in Archidiaconatu Ugocsaensi inter Episcopatus Agriensem et Transsylvaniensem contraversa Episcopatu Transsylv. adjudicata fuerit; manserunt tamen in hac provincia aliquae parochiae jurisdictioni Episcopatus Agriensis obnoxiae, quibus in vicem Archi- vel Vicearchidiaconi praeerat Vicarius ab Episcopo Agriensi constitutus.

² Egidius videtur fuisse Vicearchidiaconus de Beregh, seu de Archidiaconatu Bereghensi et plebanus de villa seu ecclesia Bégány.

³ Aqua seu lacus Zirmia (Zerne), penes quem haec possessio jacet, et a quo etiam nomen accepit, memoratur anno 1272 in literis Stephani V. regia, tamquam meta possessionum Szent-Miklós, Lónya etc. (Fejér op. cit. tom. VII. vol. II. pag. 21.)

De Marmorisio (Maramarosio).

Et primo Gregorius Pleb. de Hust (Huszt) jur. solv. 24 Gross.

It. Benedictus Pleb. de Syguet (Szigeth)¹ solv. 24 Gross.

It. Johannes Pleb. de longoPrato (Hosszu-Mező)² solv. 12 Gross.

It. Magister Laurentius Pleb. de Hugatha (Sugatagh falva) solv. 9 Gross.

(Sequentia loca, quae hic Registro parochiarum Maramarosii sunt inducta, in Comitatu Ugocsa vel Beregh -Ugocsa situantur):

It. Symon Pleb. de Werbuchz (Verböcz)³ solv. 9 Gross.

It. Antonius de Salant (Salánk) solv. 8 Gross.

It. Laurentius de Batas (in alio exemplari: Bathas)⁴ solv. 5 Gross.

It. Antonius predictus⁵ solv. 12 Gross.

¹ Idem Benedictus plebanus de Szigeth anno 1346 erat una Nicolai Episcopi Agriensis Vicarius Maramarosiensis, qui contra vinculum canonicae obedientiae Praelato suo debitae semet Episcopo Transsylvaniensi, qui hunc districtum potentialiter intraverat, ibique Pontificalia exercuerat, associavit. (Vide superius de Archidiaconatu Maramarosiensi.)

² Hosszumező jam ad initium seculi XIV. erat oppidum notabile, cui Carolus Robertus anno 1329 easdem concessit libertates et immunitates, ac oppidis Huszt, Técső et Visk, (Fejér op. cit. tom. VIII. vol. III. pag. 353.) Juxta has libertates gaudebat inter cetera jure eligendi plebanum, (Vide superius in nota ad Huszt adjecta.)

³ Werbelch, seu Verbeucz in Comitatu Ugocsa, ut possessio memoratur jam anno 1300 in literis Andreae III. regis. (Fejér op. cit. tom. VI. vol. II. pag. 252.)

⁴ Hodie Batár penes fluvium Batár olim familiae cognominis.

⁵ Idest idem, qui est plebanus de Salánk, qui antea erat plebanus de Huszt. Et hanc alteram ratam videtur solvisse pro restantia sua de

[33]

It. Matzko de Brestw (Bresztó, Nagy-Bresztó) solv, 7 Gross.

Archidiaconatus de Berek.

Egidius de Bekan (Bégány, Nagy-Bégány) solv. 3 Gross.

It. Demetrius de Ynarius ¹ solv. 3 Gross.

It. Stephanus de Munkas (Munkács) ² solv. 5 Gross.

It. Petrus de Kikos (Kigyós) solv. 3 Gross.

It. Jacobus de Bulehu (Búcsú) solv. 7 Gross.

It. Paulus de Musay (Muzsaj, Nagy-Muzsaj) solv. 3 Gross.

It. Petrus de Wari (Vári) ³ solv. 8 Gross.

It. Thomas de Bodulo (Bodoló) ⁴ solv. 3 Gross.

It. Benedictus de Doroth (Darócz) solv. 4 Gross.

Huszt; quis superius de Huszt annotatum erat: quod pro parte Ecclesiae de Huszt solverit Gregorius, pro alia autem parte teneatur Antonius, qui nunc est rector Ecclesie omnium Sanctorum de Zalank, qui nondum solvit.

¹ Nomen hoc probabilius erronee scriptum ad nullum locorum hodie his in partibus existentium applicari potest.

² Locum hunc ab ingressu Hungarorum celebrat Anonymus Belae regis notarius, sic de eodem scribens: „Locum, quem primo occupaverunt, Muncas nominaverunt, eo, quod cum magno labore ad terram quam sibi adoptabant, pervenerunt., (cap. XII. apud Endlicher Monum. Arpadiana Rer. Ung. pag. 14.) Ordo S. Pauli in vicinia hujus loci, ses prope Munkács, habuit monasterium ab Elisabetha regina Hungariae anno 1329 fundatum. (Catalog. Monasterior. Ord. S. Pauli, pag. 33.)

³ Possessio haec est antiqua, nomen suum Vári accepit a castro (vár) Borsva in vicinia sito, ad quod olim pertinebat. (Car. Szabó Béla király Névtelen jegyzőjének könyve. Pest 1860, pag. 22

⁴Budulou, ut possessio in Comitatu de Bursua existens occurrit jam anno 1280 in literis testimonialibus capituli Varadinensis. (Fejér op. cit. tom. V. vol. III. pag. 60.)

- It. Benedictus de Kazun (Kaszony h. Mező-Kaszony) solv. 6 Gross.
- It. Paulus de Barlabas (Barabás) solv. 3 Gross.
- It. Nicolaus de Golyanus (Gelenyes) solv. 3 Gross.
- It. Paulus de Zerne (Szernye) solv. 3 Gross.
- It. Clemens de Kerne¹ solv. 3 Gross.
- It. Cosmas de Borsoa (Borsova)² solv. 3 Gross.

In ultimo termino 3. Anni (anni 1334).

Item de Archidiaconatu de Borsua (Borsva).

(Exmissis aliquibus parochiis, quae actu in Comitatu Szabolcsiensi jacent, et ad Archidioecesim Agriensem spectant, sequuntur loca Dioecesi Szathmariensi incorporata):

- It. de Zirnya (Szernye) solv. 3. (Gross.)
- It. de Dorouch (Darócz) solv. 3.
- It. de Barlabas (Barabás) nihil solv.
- It. de Munkach (Munkács) nihil solv.
- It. de Bolthu (Búcsú) nihil solv.
- It. de Sto Nicolao (Szent-Miklós)³ nihil solv.
- It. de Wari (Vári) solv. 6.
- It. de Maroky (Márok, h. Papi-Márok) nihil solv.

¹ Nomen hoc ad nullum locorum his in partibus hodie existentium potest applicari.

² Borsova erat olim Castrum notabile, quod juxta testimonium Anonymi Belae regis notarii jam tempore adventus Hungarorum exstiterat, et per eos expugnatum fuerat. (cap. XIV apud Endlicher collectionis cit, pag. 16.) A quo castro sicut Comitatus de Borsua, ita etiam Archidiaconatus hujus nominis denominate fuit. Erraverunt, qui hoc Castrum in Comitatu Maramarosiensi quaerendum, et cum Borsa in Maramaros unum idemque fuisse putarunt. (Car. Szabó op. cit. pag. 22.)

³ Szent-Miklós ut villa, jam anno 1272 per Stephanum VI. regem collata fuerat comiti Michaeli. (Fejér op. cit. tom. VII. vol. II. pag. 20.)

It. de Torpa (Tarpa)¹ solv. 6.
It. de Charuwda (Csaroda) solv. 4.
It. de Kozun (Kaszony. h. Mező-Kaszony) solv. 5.
It. de Muse (Muzsaj, Nagy-Muzsaj) solv. 6.
It. de Borsua (Borsva) solv. 3.
It. de Farnos (Fornos) nihil solv.
It. de Bodolau (Bodoló) solv. 3.
It. de Dyodor (Theodor, h. Tivadar) non.

It. Laurentius de Wgucha (Ugocsa) solv. 10.
It. Petrus de Hingeta² solv. 3.
It. Nicolaus de Derzen (Derczény) solv. 8.
It. de Cheghew (abs dubio Cseke) solv. 9.
It. de Checor (fors Csegöld) solv. 4.

De Archidiaconatu de Hung (Ung).

Primo de Bezs (Bézs) solv. 3.
It. de Checher (Csicsér) solv. 4.
It. de Copus (Kapos) solv. 16.
It. de Zirutwa (Szeretva. Nagy-Szeretva) solv. 4.
It. de Zinna (Szenna)³ solv. 2.
It. de Palouch (Pálócz) solv. 4.
It. de Patwa (Bátfa) solv. 4.
It. de Tornoucha (Tarnócz) solv. 5.
It. de Hewr (Eőr) solv. 3.
It. de Tyba (Tiba) solv. 4.
It. de Hungriuar (Ungvár) solv. 4.
It. de Grehren (Gerény) solv. 2.

¹ Hic ordo S. Pauli habuit monasterium. (Catalog. cit. pag. 32).

² Nomen hoc probabilius erronee scriptum ad nullum locorum his in partibus hodie existentium applicari potest.

³ Zenna, ut villa juri decimae capitali Agriensis obnoxia, occurrit anno 1319 in literis Martini Episcopi Agriensis. (Fejér op. cit. tom. VIII vol. II. pag. 232.)

It. de Kakus¹ solv. 5.

It. de Dobrun (Dobrony, Kis- et Nagy-Dobrony)².

It. de Brat (Ráth, Kis- et Nagy-Ráth) non.

It. de Scurte (Szürthe) solv. 4.

It. de Palag (Palágy) solv. 4.

It. de Zelemench (Szelmencz) solv. 2.

It. de Kestolch³ solv. 4.

It. de Ruska, (h. Dobó-Ruszka) solv. 6.

(Post parochias Archidiaconatus de Novo Castro, seu Abaujvariensis in continua serie, absque omni interjecta nota, veniunt sequentia loca):

It. Pleb. de Rivulo Dominarura (Nagy-Bánya)⁴ nihil solv.

¹ Hujus nominis possessio seu pagus hodie his in partibus non existit.

² Dobrum anno 1272 in literis Stephani V. regis occurrit, ut terra, seu possessio regis. (Fejér op. cit. tom. VII vol. II. pag. 21).

³ Nomen hoc, probabilius erronee scriptum, ad nullum locorum hodie his in partibus existentium applicari potest.

⁴ Rivulus Dominarum jam anno 1142 fuerat per Geizam II regem Saxonibus impopulatus. (Fényes Magy arország geographiai szótára. Pest. 1851. tom. III. pag. 127.) Civitas haec anno 1347, cum antiqua ipsius privilegialia instrumenta ignis voragine consumpta fuerint, novum de antiquis suis libertatibus a Ludovico I. rege obtinuit privilegium; quod innuit, civitatem hanc non tantum sub Ludovico I. notabilem et frequentem fuisse, sed jam longe ante tempora Ludovici I. inter mon-tanas civitates floruisse. In Privilegio a Ludovico I. novitus obtento inter cetera conceditur: ut cives plebanum et judicem libere eligere possint, quos voluerint; et medietas decimarum frumenti et vini ipsorum plebano, alia vero medietas exurgenti Ecclesiae cedat, quae magnifica ac splendida olim excepta turri, solum recentiori tempore est solo aequata. (Fejér op. cit. tom. IX. vol. I. pag. 499.) Privilegium hoc anno 1376 iterum confirmatum, et etiam ad cives Medii-montis (Felső-Bánya) extensum fuerat; ast citata puncta de electione plebani et de decima eidem solvenda in eo desunt. (Fejér op. cit. tom. IX. vol. V. pag. 97.) — Anno 1490 Uladislaus rex in casum futurae vacantiae plebaniae hujus civitatis in praejudicium libertatis civium, Egregium Nicolaum,

It. de Lopus (h. Lapos-Bánya) nihil solv.

It. Antonius de Salanck (Salánk) nihil solv.

It. de Mogyes (Megyes, h. Aranyos-Megyes) ¹ nihil solv.

filium Magnifici Benedicti de Chaak, in plebanum nominaverat; cives vero suo liberae electionis juri innixi, anno 1491, post obitum Magistri Philippi sui plebani, Venerabilem et Egregium Benedictum de Chepel, Decretorum Doctorem et Praepositam de Mantha in plebanum elegerunt, et confirmari instituique fecerunt. Unde gravis differentia seu contraversia oborta fuerat inter Benedictum de Chaak, Nicolai no minati per regem plebani patrem, regemque ejus partes tuentem, ac jura sua praetendentem, et civitatem juribus suis inhaerentem, quae tandem anno 1492 in favorem civitatis decisa fait (Battyányi Leges Eccl. Regni Hung. tom. III. pag. 600). — Notari adhuc meretur solennis conventio inter plebanum ac judices hujus civitatis anno 1387 inita, vi cujus plebanus hujus Ecclesiae tenetur unum praedivatorem, et undecim honestos capellanos servare, qui singulis diebus matutinas missas et vespervas debeant et valeant decantare, et illos tenetur (verba sunt conventions) honeste servare in expensis, et semper hora prandii et coenae debite tenetur omnibus personis, ad mensam dominorum pertinentibus, dare unam pintam vini etc (Fejér op. cit. tom. X. vol VIII. pag. 233.) Quam conventionem etiam Thomas Episcopus Agriensis anno 1422 confirmavit. (Fejér op. cit. tom. X. vol. VI. pag. 490.) — Ecclesiam hanc, quae primitus honori S. Stephani regis fuit sacra, celebrem et magnis reditibus provisam fuisse, innuit tum obligatio plebani unum praedivatorem et undec im capellanos servandi, tum illa circumstantia, quod jus hanc plebaniam conferendi reges sibi praetenderint, et viri illustres, dynastarum quoque filii, eandem rexerint, et, dum vacaret, ambierint. Circa annum quippe 1472 huic Ecclesiae, qua plebanus, praeerat Ladislaus Geréb de Vingart, ex celebri et praepotenti familia, qui tardius fuerat Episcopus Transsylvaniensis. (Battyányi loco cit.) Anno vero 1491 eandem obtinere nite-batur Nicolaus de Chaak, contra cujus praetensionem in plebanum electus fuit Benedictus de Chepel Praepositus. — Illud adhuc notari meretur, quod juxta annotationes manuscriptas Caroli Fábry canonici honorarii Agriensis, quae in archivo archiepiscopali Agriensi asservantur, hic anno 1380 monasterium P. P. Minoritarum floruerit.

¹ Medies, ut meta terrae Heydreh prope Zotmar, occurrit jam anno 1273 in literis Ladislai III. regis (Fejér op. cit. tom. V. vol II.

It. de Syner (Szinyér, h. Szinyér - Váralja) ¹ nihil solv.

It. Pleb. de Wyduary (Udvári) nihil solv.

It. de Eremita (Remete, h. Köszegh - Remete)

nihil solv.

It. de Sarkuz (Sárköz) nihil solv.

It. de Apa nihil solv.

It. Pleb. de Wysk (Visk) nihil solv.

It. de Zyket (Szigeth) nihil solv.

It. de Rakaz (Rakacz) nihil solv.

It. de Hozywmezew (Hosszú-Mező) nihil solv.

It. de Huzt (Huszt) nihil solv.

It. Pleb. de Teucev (Técső) nihil solv.

It. Pleb. de Luprechthaza (alias Lompertháza, h. Beregszász) ² nihil solv.

pag. 73.) Juxta annotationes Caroli Fábry in vicinia, in loco Megyesalja dicto P. P. Minoritae olim habuere monasterium, rudera amplissimae ecclesiae adhuc visuntur. (Fényes op. cit. tom. I. pag. 50.)

¹ Olim erat Castrum, unde et nomen accepit Váralja - Juxta annotationes Caroli Fabry Ecclesiam hanc Susanna Báthory, consors Mauriti Croatiae Bani, post obitum mariti prolibus orbata, pluribus bonis, et praediis ditaverat.

² Locus hic olim erat colonia Saxonum, unde etiam villa Lomperti seu Luprechthaza appellabatur; Germanis enim Lompertus idem denotat ac Luprecht. (Battyányi Leges Eccl. Regni Hung, tom II. pag. 372, et Fényes Magyarország geographiai szótára tom. I. pag. 118.) Nomen quoque ejus Beregszász, quasi villa Saxonum in Beregh, quod tardius invaluit, indicat hunc locum primitus Saxonibus fuisse impopulatum. —Bela IV. rex jam anno 1247 hospiti-bus de Luprechthaza peculiare concessit libertates, in quibus inter cetera quoad plebaniam sequentia occurrunt puncta: „Decimas vero eorumdem in frugibus et in vino praestent Sacerdoti, quem ipsi elegerint. Ecclesia vero eorumdem ad Archiepiscopatum Strigoniensem contineatur. . . . Plebano vero eorumdem de quinquaginta mansionibus dent unam marcam” etc. (Fejér op. cit. tom. IV. vol. I. pag. 456.) Unde apparet, quod plebania haec jam anno 1247 a jure dioecetano Episcopatus Agriensis absoluta, in classem plebaniarum exemptarum, et jurisdictioni

It. Pleb. de Berek (Beregh) ¹ nihil solv.

It. de Zeleus (Szőlős, h. Nagy-Szőlős) * nihil solv.

Archiepiscopus Strigoniensis obnoxiarum devenerit, in qua exemptionis libertate permansit; nam occurrit etiam in catalogo Petri Pázmán, quo plebaniae exemptae recensentur. (Péterffy Sacra Concilia Regni Hung, p. II. pag. 268.) — Plebania haec anno 1519 a Leone X. Pontifice ad preces Magistri Thomae de Zalaháza, dictae Ecclesiae plebani. apostolicae Sedis notarii, et Ludovici II. regis Hung, secretarii ad honorem Archipresbyteratus fuerat evecta, ita: ut illa jam non Plebania, sed Archipresbyteratus, et illius rector non plebanus, sed Archipresbyter nuncuparetur, qui Archipresbyter in eadem ecclesia divina officia celebrans, et in eodem oppido processionem ducens mitra, annulo, baculo pastorali sandaliis, aliisque pontificalibus insigniis uti, et diebus festivis solennibus post Missarum, Vesperarum, aliorumque divinorum officiorum solennia supra populum inibi tunc praesentem solennem benedictionem libere et licite largiri valeat. Copia literarum pontificalium exstat in Annotationibus Caroli Fábry. In literis pontificiis inter motiva collati hujus honoris et juris archipresbyterialis affertur: quod dictum oppidum Beregszász praedicta insignia, capellanias et altaria in eadem Ecclesia ad Dei et Sanctorum ejus honorem quam plurima fundata et erecta habeat, et ad serviendum Deo copiosum capellanorum et aliorum ministrorum numerum alat, et annui ejusdem Ecclesiae proventus ad valorem quingentorum ducatorum, et ultra ascendat. Quae omnia indicant, plebaniam hanc olim celebrem et magnis redditibus provisam fuisse, — Juxta annotationes Caroli Fábry hic Ordo Crucigerorum olim habuit conventum, qui subin ad Dominicanos devenit, demum ab Elisabetha regina Hung. restauratus, et ordini S. Francisci collatus fuit, qui hic jam circa annum 1370 floruit.

¹ Beregh, ut plebania exempta, et jurisdiction! Archiepiscopatus Strigoniensis subjecta, occurrit jam anno 1295 in literis Bonifacii VIII. Pontificis. (Fejér op. cit. tom. VI. vol. I. pag. 350.) Etiam in catalogo Pazmaniano refertur inter plebanias exemptas. (apud Péterffy loco cit.) Hic Ordo S. Pauli habuit monasterium anno 1329 ab Elisabetha regina Hung, in honorem B. Mariae Virginiae fundatum. (Catalog. cit. pag. 33.)

² Szeuleus, Nagy-Szőlős jam ad initium seculi XIV. erat oppidum, iisdem gaudens libertatibus ac Huszt, Visk et Técső; Carolus enim Robertus in privilegio hospitibus de Huszt, Visk, et Técső concessio provocat ad libertate Szőlősiensium, — „Omnes libertate, quibus cives seu hospites de Szeuleus gaudent et fruuntur, eisdem de regia benignitate duximus concedendas”. (Fejér op. cit. tom. VIII. vol. III. pag. 353.) Plebania haec occurrit inter plebanias exemptas jam anno 1295

[40]

It. Pleb. de Huihel (Ujhely, Tisza - Ujhely) nihil solv.

Nota, quod ista sunt Registra Johannis Viti et Petri Gaspari de Ecclesia Agriensi pro solutione quarti anni in primo termino.

De Archidiaconatu de Borsua.

It. de Zirnya (Szernye).
It. de Doroch (Darócz).
It. de Baraabach (Barabás).
It. de Bulchi (Búcsú) solv. 4.
It. de Munkas (Munkács).
It. de S. Nicolao (Szent-Miklós).
It. de Warü (Vári) solv. 6.
It. de Torpa (Tarpa) solv. 6
It. de Marky (Márok) solv. 5
It. de Charuovada (Csaroda) solv. 4
It. de Kazun (Mező-Kaszony) solv.5
It. de Borsua (Borsova).
It. de Fornos
It. de Budulov (Bodoló) solv. 3.
It. de Thihedor (Tivadar).

in literis Bonifacii VIII. Pontificis, (loco cit.) et etiam catalogo Pazmaniano inserta habetur. (loco cit.) De Nagy-Szőlős Petrus Pázmán haec annotavit;”Narrant corpus S. Joannis (Capist.) illuc fuisse translatum, et ibi per Stephanum Joannen, filium Joannis Szapoly ruinis templi obrutum. (Péterffy Sacra Concilia Regni Hung. p. H. pag. 281.) Hic habuit ordo S. Francisci conventum a familia Priniorum (Perényiorum) fundatum. Ecclesiae duabus ornatae turribus rudera una cum ruderebus arcis contiguae in loco amoenissimo hodie quoque visuntur in monte supra oppidum.

[41]

De Archidiaconatu de Hung (Ung).

- Primo de Bez (Bézs) solv. 3 Gross.
It. de Checher (Csicsér) solv. 6.
It. de Kopus (Kapós) solv. 24.
It. de Zirna (Szernye) solv. 7.
It. de Zinna (Szenna) solv. 3.
It. de Polock (Pálócz) solv. 8.
It. de Batwa (Bátfa) solv. 6.
It. de Tornotha (Tarnócz) solv. 8.
It. de Heur (Őr) solv. 4.
It. de Thiba (Tiba) solv. 7.
It. de Hungwar (Ungvár) solv. 7.
It. de Gehren (Gerény) solv. 2.
It. de Bakus solv. 1.
It. de Dobron (Dobrony, h. His- et Nagy-Dobrony) solv. 4.
It. de Rat (Ráth, h. Kis- et Nagy-Ráth) solv. 3.
It. de Strute (Szürthe) solv. 6.
It. de Palag (Palágy) solv. 5.
It. de Zelemench (Szelmench, h. Kis- et Nagy-Szelmench) solv. 2.
It. de Kestolch.
It. de Ruska (h. Dobó-Ruska) solv. 8.

(Post parochias Archidiaconatus Abaujváriensis iterum veniunt sequentia loca):

- It. Pleb. de Rivulo Dominaram.
It. Pleb. de Lapos (h. Lapos-Bánya).

- It. Antonius de Salanck (Salánk) solv. 12.
It. Pleb. de Medies (h. Aranyos-Megyes) solv.

30 Gross.

- It. de Synir (Szinyér, h. Szinyér-Váralja)
solv. 31 Gross.

- It. Pleb. de Odvari (Udvari) solv. 29.
- It. de Eremita (Remete, h. Kőszeg-Remete).
- It. de Sarkuz (Sárköz) solv. 19.
- It. de Apa solv. 30.
- It. Pleb. de Wysk solv. 48 Gross.
- It. Pleb. de Ziget solv. 48 Gross.
- It. de Rakaz (Rakasz).
- It. de Hozewmezeu (Hosszu-Mező) solv. 6.
- It. Pleb. de Hust (Huszth) solv. 30 Gross.
- It. Pleb. de Teuchev (Técső) solv. 48 Gross.
- It. Pleb. de Lomperothâza (Beregszász).
- It. de Berek (Beregh).
- It. de Zeleus (Szőlős, h. Nagy-Szőlős).
- It. Nicolaus de Derczen (Derczény).
- It. Petrus de Ordow (Ardó, h. Szőlős-Vég-Ardó)¹

Hic explicit Regestrum Agriense quoad Episcopatum Szathmárinensem, et sequuntur illa Regestri Transsylvaniensis loca, quae actu ad Dioecesim Szathmárinensem spectant

„Ex Codice Chartaceo autographo adservato in Archivo secreto Apostolico Vaticano, qui continet rationes decime sexennalis collectae in Hungaria et Transsylvania ab Anno 1332 ad 1337 a Collectoribus Apostolicis.

Registra quinque annorum de Ecclesia Transsylvana, sive de Transsylvanis partibus subcollectorum (Benedicti Archidiaconi de Tylegd, et Thome Custodis Ecclesie Transsylvane).

¹ Sub nomine Ordow occurrit etiam alia plebania inferius in Archidiaconatu Ugocsaensi; et ibi probabilius Fekete-Ardó debet intelligi, hic autem Szőlős-Vég-Ardó, utpote praecedenti Nagy-Szőlős propius adjacens.]

[43]

Notandum, quod de Archidiaconatu de Ugatha (Ugocsa) ¹ Petrus Sacerdos secunda die Sancte Synodus solv. 71 denarios pro primo anno (pro anno 1332).

It. Herbordus Sac. de Holmys (Halmi) ² solv. 4 Gross, et 2 denár.

It. Barnabas Sac. de No men (Namény, h. Kis-Na-mény) solv. 4 gross, et 40 denar.

It. Petrus Sac. de Zekeres (Szekeres, h. Nagy-Szekeres) ³ solv. 40 denar.

It. Abram Sac. de Chegeld (Csegöld) solv. 7 gross.

It. Gregorius Sac. de Rasal (Rozsdly) solv. 60 denar.

It. Dionisius Sac. de Zar (Sár) solv. 3 gross.

It. Thomas Sac. de Kulchos (Kulcs. Kis- et Nagy-Kulcs) solv. . . . gross.

It. Martinus Sac. de Gachal (Gacsály) solv. 80 denar.

It. Stephanus Sac. de Byred (Berend) solv. 40 denar.

It. Nicolaus Sac. de Geech (Gécz, Nagy-Gécz) solv. 4 gross.

It. Dominicus Sac. de Vylak (Ujlak) ⁴ solv. 3 gross.

It. Johannes Pleb. de Nempty (Némethi, h. Szathmár-Némethi) ⁵ solv. 13 pensas denariorum, 10 et pensas.

¹ Hic Archidiaconatus praeter Comitatum Ugocsaensem etiam modernae provinciae Szathmárinensis certam partem in se complectebatur.

² Terra Holmy vocata in Comitatu de Ugocha occurrit jam anno 1274 in literis Ladislai III. regis. (Fejér op. cit. tom. V. vol. II. pag. 167.)

³ Possessio Zekeres, in Comitatu de Zathmár, occurrit anno 1308 in literis adjudicatoriis Palatini Kopasz. (Fejér op. cit. tom. VIII. vol. I. pag. 253.) Ecclesia antiqua exstat.

⁴ Utrum Szamos - Ujlak, qui pagus praecedentibus locis ferme conterminatur, aut vero Tisza-Ujlak, quod oppidum remotius ab his locis in Comitatu Ugocsaensi jacet, debeat hic intelligi, est difficile eruere.

⁵ Némethi h. Szathmár-Némethi est antiqua colonia germanorum, adhuc a Gizela S. Stephani regis uxore huc adductorum, quibus Andreas II. rex anno 1231 a S. Rege Stephano concessas antiquas confirmavit immunitates. (Schmitth Episcop, Agrien. Tyrnaviae 1768, tom. I.

It. Johannes Sac. de Ordo w (A rd ó, h. Fekete-Ardó) ¹ solv. 29 denar.

Notandum, quod de Archidiaconatu de Zothmar secundo die Synodus Michael Sac. de Mathe (Maté, h. Máté-Szalka) solv. 6 gross, pro primo anno.

It. Paulus Sac. de Mothyn (Majtény, Nagy-Maj-tény) solv. 4 gross.

It. Johannes Sacerdos quondam de Ers (Erzs-Derzs) solv. 4 gross, pro Ecclesia de Beruey (Börvely).

It. Jacobus Sac. de Voda (Vada h. praedium) ² solv. 5 gross.

It. Paulus Sac. de Chahal (Csaholy) ³ solv. 4 gross.

It. Andreas Sac. solv. 5 gross.

It. Petrus Sac. de Kuchurd (Kocsord) solv. 2 gross.

It. Dominicus Sac. de Pethauhaza (Patoháza) solv. 5 gross.

It. Thomas Sac. de Crassov (Krassó) solv. 3 gross.

It. Stephanus Sac. de Zadan (Zsadány) solv. 4 gross.

It. Mathias Sac. de Usuari (fors Vasvári, Batiz-Vasvári) solv. 2 gross.

It. Dominicus Sac. do Chegen (Czégény) solv. 48 denar.

It. Symon Sac. de Bere solv. 1 gross.

pag. 141.) Tardius in unam coaluit civitatem cum Szathmár unde habet etiam nomen Szathmár-Némethi.

¹ Fekete-Ordou, quae hic probabilius intelligenda venit, ut villa ad praedium regale de Ugocha spectans, occurrit anno 1330 in literis Andreae III. regis (Fejér op. cit. tom. VI. vol. II. pag. 254). Ecclesia antiquissimis picturis ornata exstat in Fekete-Ardó. In Vég-Ardó ad Szőlős in ruinis iacet et picturas exhibet aequae antiquissimas.

² Terra Wada in Comitatu de Zothmar occurrit anno 1288 in literis capituli Varadiensis (Fejér op. cit. tom. V. vol. III. pag. 424).

³ Antea erat praedium, nunc iterum pagus, ubi parochia erecta est anno 1857. Antiquae Ecclesiae rudera adhuc visuntur. (Fényes op. cit. tom. I. pag. 195.)

[45]

It. Andreas Sac. de Mezeupetri (Mezőpetri) solv. 4 gross.

It. Johannes Sac. de Syred¹ solv. 3 gross.

It. Thomas Sac. de Ujwarusy (Ujváros) solv. 6 gross.

It. Dominus Stephanus Pleb. de Zathmar (Szath-már)² solv. 22 pensas denarior. et 3 gross.

It. Nicolaus Sac. de Erdeud (Erdőd)³ solv. 70 denar.

It. Stephanus Sac. de Zadan (Zsadány) solv. 20 denar. pro Sacerdote de Dub (Dob).

It. pro Laurencio Sacerdote de Beruse⁴ solv. 3 gross.

It. pro Petro Sacerdote solv. 4 gross.

It. pro Cosma Sacerdote de Tykud (Tyukod) solv. 2 gross.

It. pro Nicolao Sacerdote de Damauhida (Domahid) solv. 3 pensas denarior. et 6 denarios.

It. pro Cozma Sacerdote de Omoch (Amacz) solv. 2 gross. pro primo anno.

¹ Hujus nominis pagus hodie his in partibus non existit.

² Szathmar cum Némethi unita est una ex praecipuis antiquis lib. reg. civitatibus. Anno 1264 ejus plebanus erat, Egidius, capellanus consortis Stephani V. junioris regis (Fejér op. cit. tom. VI. vol. II. pag. 388). Ut plebania exenta comparet in catalogo Pazmaniano. (Péterffy loc. cit.) Hic Elisabeth Regina anno 1370 monasterium pro ordine Minor. S. Francisci fundavit. (Péterffy Sacra Concilia Regni Hung. p. 11. pag. 281.) Juxta annotationes autem Caroli Fábry hic jam anno 1334 floruerat conventus Minoritarum, quem postea Elisabetha Regina Ludovici I. mater amplius dotaverat, ejusque Ecclesiam honori S. Elisabethae dicaverat. Unde subin exturbatos Religiosos Joannes Cardinalis S. Sedis Legatus per Dionysium Archiepiscopum Strigoniensem anno 1448 reduci jussu, qui reipsa reversi anno 1477 habuere Gvardianum P. Georgium.

³ Erdeud occurrit jam anno 1273 in literis Ladislai III. regis. (Fejér op. cit. tom. V. vol. II. pag. 73.)

⁴ Nomen hoc, utique erronee scriptum ad nullum locorum his in partibus hodie existentium applicari potest.

Notandum, quod anno Domini 1333 in vigilia Beati Laurentii Martiris Sacerdotes de Archidiaconatu de Zothmar de secundo anno Levacionis Decimarum Domini Pape solverunt:

Inprimis Paulus Sac. de Karul (Károly, Nagy-Károly) solv. 6 gross.

It. Nicolaus Sac. de Damauhida (Domahid) solv. 9 gross.

It. Dominicus Sac. de Peretho¹ solv. 4 gross.

It. Symon Sac. de Bere solv. 3 gross.

It. Petrus Sac. de Deyvansy² solv. 3 gross.

It. Thomas Sac. de Crassov (Krassó) solv. 13 denar, parvos.

It. Petrus Sac. de Denkuleg (Dengeleg) solv. 3 gross.

It. Johannes de Dendreg (Endréd) solv. 3 gross.

It. Dominicus Sac. de Chegen (Czégény) solv. 6 gross.

It. Jacobus Sac. de Veda (Vada, h. praedium) solv. 4 gross. et 12 denar. parvos.

It. Dominicus Sac. de Petauhaza (Patoháza) solv. 4 gross.

It. Laurentius Sac. de Pystarcws (Pískárkos) solv. 2 gross.

It. Petrus Sac. de Namen (Namény, Kis-Namény) solv. 4 gross.

It. Paulus Sac. de Chaho (C saholy) solv. 3 gross.

It. Andreas Sac. de Gebe solv. 1 gross.

It. Dominicus Sac. de Kuthurd (Kocsord) solv. 1 gross.

It. Stephanus Sac. de Zadan (Zsadány) solv. 3 gross.

¹ Hujus nominis pagus hodie his in partibus non existit.

² Nomen hoc utique erronee scriptum ad nullum locorum hodie his in partibus existentium applicari potest.

[47]

Incipit Regestrum solucionis Decimarum tertii anni in vigilia omnium Sanctorum anno Domini 1333.

It. Stephanus Pleb. de Zothmar solv. 9 pensas denarior. et pro secundo anno, et pro Ecclesia Batur 11 pensas denarior. montanorum.

Hec sunt nomina Sacerdotum de Archidiaconatu de Zathmar. qui decimam decime solverunt anni tertii in Festo Beati Luce anno Domini 1334.

Inprimis Laurencius Sac. de Baurr¹ solv. 26 gross.

It. Greorgius Sac. de Bozuka² solv. 6 gross. 8 denarios pro grosso computando.

It. Johannes Sac. de Endrid (Endréd) solv. 6 gross. cum novis denariis.

It. Petrus Sac. de Dengled (Dengeleg) solv. 6 gross. cum novis denariis.

It. Dominicus Sac de Pereche³ solv. 4 gross.

It. Nicolaus Sac. de Vetes (Vetés) solv. 3 gross, et 10 denar.

It. Nicolaus Sac de Vwuar (Ovar) solv. 3 gross.

It. Stephanus Sac de Sadan (Zsadány) solv. 40 denar. novos.

It. Dominicus Sac. de Chegán (Czégény) solv. 8 gross.

It. Laurencius Sac de Pyskarkos (Piskárkos) solv. 6 gross.

It. Jacobus Sac. de Dub (Dob) solv. 40 denar.

It. Nicolaus Sac de Damauhida (Domahid) solv. 12 gross, et 50 denar.

^{1 2} Haec duo nomina probabilis erronee scripta ad nullum locorum bodie bis in partibus existentium applicari possunt.

³ Hujus nominis locus hodie his in partibus non existit.

- It. Paulus Sac. de Mothin (Majtény, Nagy-Majtény) solv..... et 32 denarios.
- It. Jacobus Sac. de Veda (Vada) solv. 10 gross. et 20 denar.
- It. Benedictus Sac. de Jwanusy (Jánosi) solv. 9 gross.
- It. Symon Sac. de Bogus (Bagos) solv. 20 denar.
- It. Thomas Sac. de Karasov (Krassó) solv. 50 denar.
- It. Stephanus Sac. de Vasyan¹ solv. 4 gross.
- It. Sacerdos de Vylak (Ujlak) solv. 32 denar.
- It. Michael Sac. de Matheo (Máte, h. Mátészalka) solv. 8 gross.
- It. Dominicus Sac. de Potauhaza (Patóháza) solv. 4 gross.
- It. Petrus Sac. de Mada solv. 3 gross.
- It. Petrus Sac. de Namen (Namény, h. Vásáros-Namény) solv. 3 gross.
- It. Johannes Sac de Beurey (Börvély) solv. 2 gross.
- It. Paulus Sac de Chahal (Csaholy) solv. 4 gross.

Hec sunt nomina Sacerdotum de Ugatha (Ugoicsa) Archidiaconatu, qui solverunt ut praedicti:

- Inprimis Barnabas Sac. de Namen (Kis - Namény) solv. 2 denar. de Hungaria.
- It. Thomas Sac. de Rasal (Rozsály) solv. 2 gross. et 50 denar.
- It. Martinus Sac. de Gachal (Gacsaly) solv. 12 gross.
- It. Petrus Sac. de Bech (Becs, h. Szamos-Becs) solv. 20 denar.
- It. Thomas Sac. de Vosuari (Vasvári) solv. 7 gross.
- It. Thomas Sac. de Chegud (Csegöd) solv.....

¹ Nomen hoc ad nullum locorum hodie his in partibus existentium applicari potest.

[49]

It. Gregorius Sac. de Thyztabereig (Tiszta-Bereg) solv. 2 pensas denar.

It. Petrus Sac. de Vyasy¹ solv. 26 denar.

It. Nicolaus Sac. de Garmath (Gyarmath, h. Fehér- Gyarmath) solv. 6 gross, et
23 denar.

It. Nicolaus Sac. de Gech (Gécz) solv. 6 gross.

It. Thomas Thobyas Sac. de Palad (Palád, h. Kis et Nagy-Palád) solv. 50 denar.

It. Johannes Sac. de Toch (potest legi etiam Toth)² solv. 40 denar.

It. Herbordus Sac. de Lazar (Lázári) solv. 38 denar.

It. Petrus Sac. de Holmi (Halmi) solv. 3 gross, cum dimidio.

It. Martinus Sac. de Saar (Sár) solv. 3 gross, cum dimidio.

It. Jacobus Sac. de Penge (Penyige) solv. 40 denar.

It. Paulus Sac. de Zekeres (Nagy- Szekeres) solv. 30 denar.

It. Johannes Sac. de Ordov (Fekete-Ardó) solv. 3 pensas denarior.

It. Johannes Sac. de Sari³ solv. 3 pensas denarior.”

^{1 2} Haec duo nomina ad nullum locorum hodie his in partibus existentium applicari
possunt.

³ Etiam superius occurrit Sár: ubi alter hujus nominis locus exstiterit, est incertum.

Notasse iuvabit, his, id est praemissis tamen non absolvi numerum omnium
parochiarum, quae in provinciis hodie dioecesim Szathmárinensem constituentibus circa annum
1333 floruerunt. Ecclesiae etenim sub cura cleri regularis constitutae a solvenda decima
immunes erant. Vide Josephi, Koller, Historia; Episcopatus Quingue-Ecclesiensis circa annum
1333, qui et necessarias de marcis, grossis ac denariis, hoc est de valore pecuniae eorum usuatae
habet adnotationes.

[50]

Licet adhuc ulterius protrahatur Regestrum hujus Dioecesis, nullibi tamen dicti Archidiaconatus amplius connotati habentur.

Taxae autem respectivorum Archidiaconorum inter taxas capitularium annotatae habentur; Archidiaconi enim legebantur e capitulo ita, ut Archidiaconi unasimul etiam canonici fuerint.

Franciscus Balássy. *)

II.

Conspectus

dioecesis ad annum Domini 1699 e manuscripto Josephi Nováky eotum Canonici Agriensis exscriptus. Nomina Parochorum almae dioecesis Agriensis anno 1699.

In Comitatu Beregh:

In Munkács oppido cum arce Maximilianus Schart.

In Beregszász, quae alias est Archi-Presbyteratus, Michael Mátyus.

Possent applicari parochi:

In Vaáry, ubi antea paucis abhinc annis parochus exstitit.

In Comitatu Unghensi:

In Ungvár Joannes László.

In Kapos Joannes Széplaki, mortuus est. Ultima duo verba adiecit Episcopus Telekessi.

*) Hucusque Clarissimus D. Fr. Balássy. Conspectum, qui sequitur. exscripsimus e pagellis periodicis „Magyar Sión” omni laude et commendatione dignissimis

[51]

In Pálócz Georgius Polany residet in Kapos. N. B. valeret Pater Gotthard, qui est in Füged vel qui residet in Gy. Halászi. Pariter Telekessi adiecit.

In Szenna Patres Franciscani.

Possent applicari Parochi:

In Szerednye. — In Tarnócz.

In Comitatu Szathmár:

In oppido Szathmár Patres Societatis Jesu.

In Nagy-Bánya Patres Societatis Jesu.

In Károly Mathias Szárhegyi.

In Comitatu Ugocsa:

In Nagy-Szóllós Patres Franciscani.

In Comitatu Mamaros:

In praesidio Huszt Mathias Frantz non valens subsistere, discessit.

Summa parochiarum in tota dioecesi Agriensi 108-Praeterea Licentiati pro tunc erant 10.

E conspectu hoc patet, quae et quanta acceperit vulnera provincia, quae hodie dioecesim constituit Szathmárinensem, e praetensa saec. XVI. reformatione. Monasteria collapsa, ecclesiae plurimae dirutae, aliae ab asseclis novae doctrinae occupatae, sacerdotes tempore seditionis Bocskayanae pulsi atque spoliati, et provincia tota Principi Transsylvaniae tradita.

III.

Tristissima religionis cath. fata ab anno 1526—1660.

Ad elenchum praepositum parochiarum illustrandum iuvat rem altius incipere et inquirere, qua factum sit ratione, ut facies religiosa partium harum tantopere fuerit immutata. Novam Lutheri doctrinam et praetensam reformationem ad oras has tulerunt Saxones primum, qui in civitatibus montanis et in aliis multis provinciae huius locis iam a longo tempore sedes fixerant. Nacti sunt illi paullopost in nova doctrina promovenda praepotentes oligarchas patronos, puta Casparum Drágffy, Petrum et Gabrielem Pérenyi etc. Matrica ecclesiae reformatae, quae Szathmárini est, caetera inter de hac re haec habet: „Dévai Biró Mátyás, Erdélyből Déva mezővárosából való, tanult Budán, tanítója lévén Grynaeus Simon, elébb Mátyás király könyvesházának gondviselője, azután a budai anyaiskolában oktató. Wittembergában 1522—1529 eszt. Luthert és Melanchton hallgatta, a kiktől becsültetett, és mint tanult férfiú megdicsértetett. Magyarországra visszajövéen, annak sok részeit megjárta és sokakat és közöttök Bélteki Drágffy Gáspárt a reformatióra vezette, Erdőd és Szatmár városát az evangelica vallásra hozta 1535 esztendőben. Erdődről 1535 szatmári predikátornak általtétetvén, helyébe Batizy András (parochus antea Batizensis) erdődi prédikátorrá lett.” — Csak hamar, mond Udvary Ignác „A Protestantismus köztörténeti fejleménye” czimü igen-igen jeles munkájában „alig volt Magyarország-

ban oly táj, hol az új tanok követőket vagy kegyelőket nem számláltak volna: s mármár a vallásügyek elintézésére gyülekezeteket és zsinatokat kezdenek tartani. Első tartatott Erdődön Szatmár megyében 1545-ben, hol Drágffy Gáspár és neje védelme alatt az új hitszolgák tanjaikat 12 cikkbe foglalták; s ez idő óta a reformatorok honunkban a kath. egyháztól különvált vallásfelekezetet kezdetek képezni *)). Eodem anno occupata est per neotericos ecclesia Erdődensis, deinde ecclesiae, quae Szathmárini, Nagy-Károlyini in coronae oppidis Szigeth, Visk, Técső, Hosszumező, **) Huszt

*) Az 1646-ki szatmárnémeti zsinaton a heidelhergi hitcikkönyv megerősített és tankönyvül használatni rendeltetett. És így e vidéken állapított meg leginkább a reformata egyház.

**) De reformatione in Marmatia peracta haec est legere in opere, cui titulus „Szigeti Album 1860.” „Az ezen vidéki reformátusok közt Ramasi Mátyás szebeni reformator áll legelő, ki a már protestáns Perényi Gábor, máramarosi sókamara-grófnak, máramarosi főispánsága idejében, 1524-ben kezdte Visken a reformatió magvait hintegetni, s utóbb oda bizonyos német származású tanítványát is elküldte, általa Luther tanait terjesztvén.

Huszt Tamás követé őt, mint ki Huszton szüleit, rokonait meglátogatván, azokat és azoknak barátait magánházaknál sz beszédeivel buzdította s a romai egyházból kitérítette, a miért is a szent Helena-egyháznál volt szerzetesek által üzőbe vétetvén, hogy kézre ne kerüljön, a szomszéd helységekbe szaladt, és Visken, Técsőn, Hosszumezőn, Szigeten hatalmasan előmozdította a reformatiót, — mint ez Lampe Egyháztörténetében s Tóth Ferencz prot. ekkl. historiájában leiratik, — Ugyan ezen Huszt Tamás az, ki az 1545-ben Erdődön tartatott zsinaton jelen volt 29 reformátor között a 20-ik helyen nevezetik.

Végre egy Pál nevű ref. pap volt az, ki a reformatio azonkori munkáját ezen városokban és így Szigeten is 1556-ban mintegy befejezte, azon idő óta a máramaros megyei egyházak a ref. vallás mellett állhatatosan megmaradván.

A szigeti templom egy része, azaz a főtemplom ez eddig tett egybehasonlító vizsgálatok szerint 1050—1150 között, tehát azon időben épült, midőn a görögromai építészetre a német stíl kezdett befolyást gyakorolni, míg az oltárhely (sanctuarium) a főportale, mint tisztán németstíli építmények, a XIII. század közepe táján, a sekrestye pedig 1320-év körül

[54]

et alibi erant. Anno 1587 adempta est catholicis ecclesia St. Steph. parochialis Nagybányae etc. Anno 1564 e multis domibus religiosorum, quae olim in partibus his floruerunt, solum monasterium St. Francisci in Szőlős, quod hoc anno

építhettek. A templom, annak alakját és a legutóljára épített oldalsekrestyét tekintvén, előbb görög (?), később római szertartásuaknak szolgált szenthelyül, míg 1524-ben, tehát épen Ramasi Mátyás idejében, egy Szebenből megjelent s Luther tanait terjesztő Surdaster János nevű pap, a helybeli plebánossal egyetértőleg, a lakosság legnagyobb részét megnyervén a reformatiónak, a templom is az áttérők kezében maradt 1775-ben a toronynak harangozás közben hajlángó, igen szép ódon magas tetőzete M. Theresia királynő parancsára levágtattott.”

Igy Szigetnek t. ismertetője. Szabadjon itt némelyeket az igazság kedvéért megjegyezni. A t. ismertető a templomnak alakját, azaz byzant stíljét tekintve, azt állítja, hogy a szigeti régi templom hajdanta görögöké volt, mit kereken kell tagadnunk. Ha ezen okoskodás állana, Bécsben a Szent-István temploma is görögöké volt volna, miután annak főportaleje és homlokzata byzant vagy, mint ismertető ur állítja, görög-romai stílben épült; görögöké volt volna a pécsi székesegyház, a zsámbéki díszépítményű régi templom, a pannonhalmi és itt a Krasznamentében az ákosí byzantstilű háromhajós templom etc. De be is lehet bizonyítani, hogy a Kárpátok déli aljában sehol kőből nem építettek a görögök templomot és hogy a mennyi régi kőtemplom csak létezik e hosszú vonalon, azt mind római katolikusok építették. Végre minden kétségen túl helyezik állításunkat a kérdéses templom nem régen fölfödözött régi falfestvényei, melyek a „Magyar Muzeum” ban mint hazánkban legrégebbiek bőven le vannak írva, és melyek épen nem görög, hanem kath. eredetűek.

De még hibásabb azok botor állítása, kik a kérdéses építményben erőnek erejével régi pogány római templomot akartak látni, a toronynak füstösségéből azt hozván ki, hogy ott égettettek meg az áldozati tulkok.

A romaiaknak egész Mármarosban nincsen semmi nyoma. Találtattak ugyan ottan kelta szerszámok és fegyverek, de római emlékek épen nem. Pedig a romaiak mindenütt, hol laktak, hagytak maguk után emlékeket: templomokat, vízvezetéseket, utakat, síremlékeket, sarkophágokat, éremeket stb. Aztán legujabban jelöltettek ki Erdélyben teljes biztossággal a határok, melyeken túl nem laktak a romaiak, és e határok Besztercze mellett húzódtak el dél felé Magyarországnak, és így jól messze voltak még Mármaroshoz a romaiak. Az öt koronaváros II. Geyza alatt kapta kétségtelenül szász lakóit és ezek építették a mégmost is ezen öt városban fönálló régi templomokat, melyek között legérdekesebb és legnagyobb a viski

Custodiae Jenőensi subiiciebatur, quia ad quam olim pertinebat Nagybányensis iniuria temporum iam eversum erat, exstitit, anno tamen 1559 et Szőlős iam oppressum fuit. — Principes Transsylvaniae, prout et Lazarus Schwendi, dux Ferdinandí I. protestantibus in his partibus mirum in modum favebant, sicut et Joannes Rueber, Magócsy, Ungnad et alii eiusdem regis belliduces.

Relicto Luthero partes hae post annum 1554 coeperunt ad castra Calvini transire. „Az 1554-ki óvári zsinaton (Szamos mellett) Torday Demeter helybeli lelkész minden magyar ecclesiák főügyelőjévé választott; azonban nehogy Calvin tanjánál fogva a törvényleg kitiltott sacramentariusok gyanánt tekintessenek, külsőleg lutheranusokul színlették magukat. Az 1557 és 1558-iki csengeri zsinatokban a 1557 szakadás nyilvánosabbá lön és 1562-ben az egervölgyi val-1562 lástétel által határozottan megtörténtA tiszta- és dráva-melléki magyarok és székelyek az ágostai hitvallást elhagyva a genevaira tértek át s az előbbi csak az erdélyi szászok, a magyarhoni németek és szlávok tartották meg; ámbár, mikint Miksa császár 1567-ben Sopron városához bocsátott leiratában említi, miglen Calvin tanítmánya annyira eljutott, számos békebontó és rendzavaró kitörések és néplázongásokra nyujtott alkalmat Hallatlan kegyetlenkedések történtek e zavarok között; a katolikusok mindenfelé ölettek, sok hadifoglyul hurczultatott, és ezek barmok módjára

— aztán a még szintén létező gyulafalvait is. A főnebb említett falfestvényekből továbbá kitetszik az is, hogy hajdanta a Kárpátok tövében a festészet is gyönyörűen virágzott, miután Fekete-Ardóban tele van még a régi templom éjszaki fala ily festményekkel, mintán láthatók a szőlősi végardói templomromain is ilyen festmények, és nem régen még a császlóczi, helmecezi régi templomokban is láthatók voltak. — Mennyire virágzott e tájon a mohácsi vész előtt az építészet, a szobrászat, láthatni a nagybányai remekmaradványokból, a beregszászi templomból, hol a művészek, a kőművesek jelképei is tanuskodnak arról valamint az alább megnevezendő régi templomok is. Ime, az elfogultság kész a régi romaiakat, a görögöket előidézni sirjaikból, csakhogy a katolikusoknak ne kénytelenitessék tulajdonítani valami jót, szépet, remeket.

csúfáron a pogányoknak eladattak Az eszéki hidon 80 ezer katolikus vonzoltatott át, kik török rabszolgaságra kárhoztatva hazájokból kihajtottak ... A magyar hitnek keresztelt új tanítmány a magyarok között sok követőre talált, főleg Erdélyben. A nagyok közül Petrovics Péter volt első calvinista, mikint Perényi Péter első lutheranus, kikről Szegedi irá: *Supra duos Petros extra Petrum Christi aedificatae sunt in Ungaria duae contra Romanam pugnantis ecclesiae**). — In oppido Ungvár iam anno 1546 celebrarunt novatores synodum sub auspiciis praefati Petri Petrovics, arcis et domini Munkácsiensis domino. Ungvári de in provincia, quae Ungensis vocatur, circa annum 1556 Franciscus Drugeth a Hommona et non multo post Stephanus Drugeth susceperunt res Protestantium defendendas et nova dogmata propaganda.

Beregszászini, ubi ante Archipresbyter, octo Altaristae, tria monasteria, amplissima ecclesia parochialis et plures capellae erant, sacerdotes catholici abs dubio per Lazarum Schwendi sunt e sedibus suis pulsati et bonis suis spoliati et per saepius nominatum Petrum Petrovics circa annum 1560, quo prior archi Munkács erat praefectus. Ceterum extra omne 1571 est dubium e diplomate Maximiliani ddo. 20. September 1571, hoc tempore Altaristas Beregszászenses iam sedibus suis pulsos, bona eorum direpta et pleraque ad manus ministrorum helv. devoluta fuisse. E diplomate dein per Antonium Verantium Archiepiscopum die 20. Mai 1573 edito in patulo est, eorum monasteria, quae Beregszászini olim floruerunt, iam diruta et desolata fuisse.

Fautores praeter nominatos iam oligarchas rerum novarum in his partibus fuere saeculo decimo sexto et proximo, quod successit, Bocskai, Rákóczi, Balling, Bethlen et Bercsényi-1650nyi. — Circa annum 1650 in Hungaria iam 5000 templa

*) De reformatione in Marmatia.

catholica devenerunt in manus Protestantium, sicque factum, ut exeunte saeculo decimoseptimo apud nos solum iis in locis fuerint sacerdotes catholici, quae canonicus praelaudatus in elencho supra exscripto adnotavit. Ceterum nec parochiae in praefato elencho nominatae manserunt temporibus asperrimis et rei cath. infensissimis inconcussae. In comitiis anni 1681 Status et Ordines Catholici Regi amarissime conquesti sunt, in Comitatus Szathmár et Szabolcs praeter arces Szathmár, Ecsed, Böszörmény, nullum esse vestigium sacerdotis catholici, et nec unicum existere templum catholicum; — in Comitatus Zemplén, Ungvár, Bereg, Ugocsa, Abauj vix aliquot inveniri sacerdotes catholicos. His non obstantibus in comitiis eiusdem anni articulo 36. statutum fuit, ut in Comitatu Ungensi protestantibus templa sua restituantur, licet haec olim catholicorum fuerint. Querebantur in iisdem comitiis Protestantes, Szathmárinum ecclesiam parochialem cum scholis et earum redditibus a catholicis occupatam esse, — prout iam in comitiis anni 1647 lamentabantur, in arcem Szathmárinensem publicis regni laboribus munitam introductam fuisse (1634) societatem Jesu, cum tamen praë-1643 dicta arx “Martis, non artis domicilium esset”.

Praeter supranominatos populares nostros et belliduces externos vastarunt partes has saevissimum in modum-Turcae, Tartari et Poloni plus vice una. Notum est omnibus, quoties per seditiosos fuerint in auxilium vocati, hoc est in detrimentum miserae vocati patriae Turci; brevitatis causas sufficiat hic meminisse litterarum illarum, quibus Gabriel Bethlen, ab amore in patriam a multis encomiis omnibus celebratus, Chanum Tartarorum evocavit ad auxilium sibi ferendum, et in quibus cetera inter haec habentur: „Hogy a Thrákországba rontott lengyeleket megvágta, s leölvén vezéreiket szétvered, annak hire legnagyobb gyönyörünkre szolgált. . . . Gazdag tartományokon, milyeket a tatár népek eddig nem láttak, keresztül vezetendünk tégedet, hogy fejedre babér száll, katonád pedig aranyt, ezüstöt és emberrabot

talál bőségben. Azért kérünk 20 ezer lovast vezess ide. — Mi táborban vagyunk, benneteket is, — ha Isten akarja, várván. Ugy is belőletek vagyunk mindnyájan.” „Ilyeneket irt, mond Udvary, a magyarok választott királya — nem egyszer. Hol itt a kereszténység; hol a hazifiság?” „Et seditiosorum principes, bellorum civilium „heroes”, ait recte vir patriae suae deditissimus, quales erant Bocskay, Rákóczy uterque Georgius, Báthori, Bethlen etc. confecta pace nunquam patriae, verum solum suarum fuerunt rerum memores. Merces belli ducum erat, ipsorum spolia opima, — asseclae ipsorum cantabant vacui et ipsa patria icta dolore ingemuit spoliata, vastata et penitus prostrata. — Quantam cladem in-tulerint Tartari his oris — legere est apud Ant. Szirmay in Notitia Cottus Ugocsa et in Descriptione Cottus Szathmár. „Anno 1662, ait scriptor prae laudatus, decertarunt Tartari cum Joanne Keményio ad arcem Nyaláb et oppidum Nagy-Szólós, eoque victo totum, quod a vastatione Polonorum ad-huc reliquum fuit, incendiis deleverunt, uti describunt Keteles, Gyöngyösi et Benkő*).

Invat hic paucis meminisse stragis per Polonos oris his 1657 illatae, cuius causa exstitit Georgius II. Rákóczy anno 1657, qui coronac regni Poloniae inhians, exercitum suum in Poloniam duxit et quem victum et turpiter fugientem presso pede sequentes Poloni immanem his oris intulerunt vastitatem. Historia parochiae Beregszászensis de clade hac funestissima haec habet: „Cum Rákóczy elato certe animo cum exercitu suo regnum Poloniae invadere non fuisset veritus, Poloni vim vi repellentes duce G. Lubimirszky Hungariam

*) Huc referunt quae Kazy in sua Historia Hung. 12, 233. scribit: „Tököly Huszt és Munkács bevétele után, lengyel és tatár csapatokkal erősödve 1679-ben Ungvár városát is megszállván, itt a lakosokat kirabolta és főleg a kath. hitvallást követőket leöldöstette . . és fosztogató hadai által halálos ellenségének, Keglevics Miklósnak Ungbani terjedelmes jószágait elpusztította”.

[59]

subintrarunt, Comitatumque Bereg, Ugocsa et Szathmár saeve devastarunt ingentemque undique igni et ferro his in partibus cladem intulerunt. Hac occasione, signanter 17. Junii eiusdem anni accidit, ut recte die Domini, quum Beregszászenses cultui divino vacabant, ab exercitu hostili in cinctura ecclesiae oppressi et dire omnes fere tracidarentur ecclesiaeque ipsa splendida succensa adeo desolaretur, ut nonnisi parietes e quadratis lapidibus exstructi in ruderibus permanerent, quibus dux Polonicus perennis instar memoriae hunc versiculum inscribi curavit:

Vicem pro vice reddo tibi care vicine.

Partes dictae Polonorum hac excursione in favillas et cineres redactae, uti Art. 26. anni 1659 memoratur et in Rubric. Juris Ung, pag, 182 describitur: „Poloni cum formato exercitu in Comitatus Bereg, Szathmár et Ugocsa irruerunt et castella Podherin, Sz. Miklós et Rákos cum plurimis curiis Magnatum et Nobilium, necnon oppida Munkács, Vári, Bereg et Beregszász, pagos item et villas plus quam tercentas in cineres redegerunt. omnesque populi illius fortunas et facultates vei in praedam converterunt vel igne absumpserunt.” Rákóczy, tanti mali auctor, dum haec age-rentur, delituit in arce sua Ecsed.

Anno 1677 foederati Hungari Duce Wesselényio Gallis, 1667 Tartaris, Polonis et Cosaccis mixti civitates Nagy- et Felsőbánya capiunt, altaria evertunt et Joannem Borsy, parochum cath. in fugam agunt, dein provinciam Szathmár et Ugocsa vastant et cum duce Schmidio caes. reg. arci Szathmár praefecto ad Nagy-Szólós manus conserunt, in qua pugna e caesareis 1500 plures cum primariis praefecti periverunt.

Anno 1560 paraecia cath. Fekete-Ardó per Gabrielem Perényium armata satellitum manu circumdata per parochum Steph. Károly siti et fame adactum Protestantibus tradita est. Idem factum eodem anno cum parochia Királyháza.

De statu miserrimo religionis cath. in provincia Ugocsensi saepe laudatus Ant. Szirmay ad hoc tempus sequentia prodidit memoriae: „Suppressio antiquo monasterio in Nagy-Szőlős partes istae diu manserunt privatae omni spirituali solatio, cum nec parochi, nec religiosi a servitiis populo adesse potuerint, Protestantibus eosdem omni iniuriarum genere lacescentibus, ut in Rubr. Juris. Hung. ad hunc annum describitur, et supplex libellus Catholicorum comitiis exhibitus perhibet. reliqua inter:

„Petrovics parochis stigmata inuri et qua parte caput eorum radi solet, cutem detrahi iussit. Monachi Franciscani cum summo dedecore et mundi scandalo totaliter denudati per plateas alligatis (pudor vetat dicere, sed res exigat) ad naturalia semicentenariis lapidibus circumducti et lupina pelle ad derisum nudo religiosi corpori ad modum militis appensa duris scuticarum ictibus ad saltandum, ignesque transiliendos in oppido Szőlős per Capitaneum Hagymási adacti.” „Könnyü elgondolni, mond ezekre nézve Udvary, hogy az ily bántalmakat, igazságtalan üldözéseket a katolikusok sem tűrték el bárányszeliden, és hogy ittott részökröl a visszatorlás lángja kitört.” Az 1705-ik évben II. Rákóczy Ferencz a szécsényi várból Ung, Bereg, Ugocsa és Szatmár vármegyékbe kiküldötte Orosz Ádámot, Kazinczy Endrét és Rác Jánost mint bistosokat a vallási sérelmek orvoslása végett, azaz a katolikusok által visszafoglalt templomok átadatására. A többi közt ekkor az ungvári egyházra nézve rendeltetett: „Most a katolikusoknál levő templom az ispotály mellett cum parochia et universis redditibus resignáltatik az evangelikusoknak.” Ast anno 1711 rediit alma pax et cum ea feliciora tempora.

IV.

Laetior rerum facies ab anno 1660.

Prostratae res catholicorum his in partibus post annum 1660 coeperunt verti in melius. Dicto etenim anno Munkácsini, 1660 ubi iam a saeculo sacra cath. non fiebant, Sophia Báthory, vidua principis Rákóczy cum filio suo Francisco in sinum sanctae matris ecclesie reversa est, quo facto Protestantes ad Tibiscum et Samusium potentissima patrona et munificentissima spoliati sunt faultrice. Incusarunt eam post conversionem saepe saepius regi et compleverunt lamentis omnia, quod ministris suis beneficia, quae antea larga subministraverat manusubtraxerit etc.

Praeter praeaudatam principem plurimum dein catholici his in partibus immortalis memoriae viro Petro Pázmán debent, qui Jesuitas iam 1634 Szathmárini sedes figentes dote providit hacque ratione gymnasii Szathmár. fundamenta firmavit Transtulit post haec mox Comes Joannes Drugeth Homonna collegium et gymnasium Soc. Jes. Ungvárinum. Eadem Societas saeculo hoc etiam Nagybányae fixit sedem et coepit fortiter rem propugnare catholicorum et juventutem erudire.

Capta postea 1686 Buda in his oris templa et sacerdotes cath. multiplicati sunt, prout inferius narrabimus. St. Francisci filii 1669 Szőlősinum remearunt. Provincia enim Ordinis die 1669 2. Julii eiusdem anni in congregatione Szakolczae habita ad oppidum praedictum designavit Praesidentem P. Ignatium Gaal, adiuncto ei socio P. Georgio Szécseny, qui dein in animarum salute procuranda non segnes operarii exstiterent, uti testi-

monium de iis, per Sigis. Buday tribunalis C. Bereg et Ugocsa Assessorem praestitum est: „quod pagatim in quatuor Comitatus Bereg, Ugocsa, Szathmár et Marmaros, parochis rom. cath. absolute destitutis et non existentibus excurrerint et continuo pro incremento sanctae matris ecclesiae ac consolatione spir. fidelium zelose in vinea Domini indefesse laboraverint. Vide A. Szirmay C. Ugocsa pag. 98, qui in descriptione C. Szathmár ad annum suprafatum hac de re sequentia habet: „Mivel a szatmári és ecsedi váraikon kívül a kath. hiten lévőknek egész vármegyében papja nem volt, a nagyszőlősi szürke barátok helységenkint járkáltak. Isten szavát hirdetvén, melyért a zenebonás hazafiaktól sok méltatlansággal illettetek”*)).

Anno 1695 Comes Nicolaus Bercsényi uxoris suae religiosissimae, Christinae Drugeth, enixis motus precibus, catholicis Ungvárini occupatam per reformatos ecclesiam et parochiam cum redditibus restituit, tardius tamen idem Bercsényi acerrimus evasit catholicorum inimicus.

Quid religio nostra sacrosancta in his oris inclytae familiae Comitum a Károlyi debeat, patet ex iis, quae sequentur inferius.

Post memoratum annum 1660 in dioecesi, cui hodie Szathmárinensis est nomen, religionem cath. postliminio reductam esse, patet cetera inter etiam e tabulis foundationis pro Patribus Francisc., in Szőlős anno 1671 confectis sequentis tenoris: „Nos Gabriel de Perény, Cottuum de Ugocsa et Abaujvár sup. ac perp. Comes, item Cath. Forgách de Ghymes Spect. ac Mag. quondam Domini Emerici similiter de Perény relicta vidua necnon Steph., Francisc., Adamus, Georg., Joan. et Paulus de Perény memoriae commendamus etc. quod inclyta familia nostra

*) Post annum 1613 in Ungensi provincia res catholicae laetiora ceperunt incrementa, stimulante imprimis Georgio Drugeth, Sup. Comite Ungensi et Zempliniensi Paulinos in Eszeny, Gerényes et Villye habitantea ad religionem catholicam fortiter defendendam et propagandam, Kazy, Hist. Hung. II. 116.

Perenyiana in rationem Ven. Or. St. Fr. instituerat fundationem pro eorumdem R. PP. residentia solemne etiam monasterium una cum templo nobilissimo extruxerat. Quod quia monasterium ob diversas temporum vicissitudines ac haereticorum tyrannidem, quae nec memoriam quidem religionis catholicae partibus in his reliquerat, a pluribus iam annorum revolutionibus ab iisdem Patribus Fr. desertum ita desolatum et dirutum vetustateque attritum sit, ut vix de eiusdem reaedificatione hic et nunc spes aliqua supersit; ideo quia ab haeresi pessumdata et penitus suffocata religio cath. iam in his quoque partibus revivis cere et pullulare coepit, nos etc.”

Ob saevam bellorum tempestatem et Protestantium persecutionem mox Patres iterum novam hanc residentiam deserere coacti sunt, anno tamen 1690 ad rehabendum locum pristinum P. Cons. Maskoczy cum duobus sociis eo missus est. (Ant. Szirmay pag. 101.)

V.

Incrementa,

*quae religio catholica post funestissima bellorum civilium
tempora sensim in Cottu Szathmár cepit, promovente
eam potissimum familia Károlyiana.*

Excerpta e Historia parochiae et domus, quae
est Nagy-Károlyini Scholarum Piarum.

Originem suam inclita familia Comitum a Károlyi accepit a Kaplonyiis, quorum ultimus bona sua partitus inter quatuor filios totidem erexit familias, nempe: Károlyiorum, Bagosiorum, Vetésiorum, Csomaköziorum. Stephanus Károlyi, dum Calvinii (rectius Lutheri) dogma initium sumeret, Albae-Juliae in Transilvania Canonicatum cum Archidiaconatu Krasznensi tenens, partem bonorum, Dominio Károlyiensi unitam, familiae Drágffy Lutherum profitenti testamento reliquit. Quamobrem Drágffios inter et Károlyios quaedam necessitudo intercesserat, sed non longa. Nam cum Drágffii milites Károlyini morarentur, in aedem sacram OO. SS. eo tempore, quo poenitentium confessiones sacerdos excipiebat, irruerunt, personas a latere confessoris arreptas in eodem loco sacro prostituerunt. Quo audito Petrus Károlyi zelo fidei catholicae incensus continuo cum suis armatus adfuit, Lutherique asseclas in actu deprehensos resectis a reliquo corpore pudendis muletavit, unde gravis oborta est inter utramque familiam contentio, verum Drágffy convictus e dominio eiectus est.

Petrus Károlyi acerrimus cath. religionis vindex fati fungitur relicto haerede Michaele sub tutore Ladislao Kun,

[65]

Calvino addicto, cuius opera Michael, cum adhuc tenellus esset, facile ad Calvinum descivit, templumque Omnium Sanctorum Calvinis cessit.

Michael ephoebis excedens ad necessarios Mathiae II. Regis se contulit, ubi detestato Calvini dogmate veram Christi doctrinam omnibus plaudentibus amplexus est, exactoque inter ministros regios quadriennio haereditatem adiit, aulamque suam a Calvini asseclis purgavit, atque lectissimam virginem Barbaram Sennyei sibi matrimonio iunxit, quam brevi cum verbis tum exemplis ad veram fidem adduxit; unum adhuc superabat, nimirum, ut aedem Omnium Sanctorum a Calvinianis reciperet, de qua cum conclamatum esset, novum a fundamentis in arce gentilitia extruxit sacellum? Hoc autem ei plurimum doluit, quod templum Omnium Sanctorum is, cujus opera reformatis traditum fuerat, pristino statui non potuerit. Quare Adamo et Ladislao filiis suis in supremo agone curam templi recuperandi patrisque illuc sepeliendi enixe commendavit.

Adamus et Ladislaus absolutis severioribus disciplinis aulam Principis Georgii junioris Rákóczy petierunt, sub quo deinde ad bellum Polonicum profecto primis adnumerati sunt centurionibus. Post confectum bellum se domum suam receperunt, Patres Societatis Jesu, qui haereticos ad recta reducerent, pueros ac adolescentes rebus fidei imbuerent, adsciverunt eosque, cum necdum fixam stationem in oppido haberent, ad gentilitiam arcem collocarunt, sed cum nitro citroque per Hungariam turcicus furor grassaretur Varadinumque proximam civitatem occuparet, Szathmárinum se ad asylum conferre coacti sunt, ubi Adamus Károlyi biennio commoratus obiit sepultusque est apud Patres Societatis Jesu in monumento a se condito. Anno 1672 mortua 1672 est dilectissima conjux Ladislai Ocsvárini in arce haereditaria, unde Szathmárinum delata in aede PP. SS. Jesu recondita est.

Anno 1686 Alexander, Ladislai filius, relictis scholis; Szathmárinuni rediit, quo tempore tanta catholicorum vastitas fuit, ut si Szathmárinum et Ecsedinum, nobile dominae principis Sophiae Báthory Castrum, excipias, nusquam Pestinum usque Curator catholicus reperiri potuerit. Tandem recepta a Turcis Buda civilibusque bellis compositis 1687 celebrata fuere comitia, in quibus delecti sunt Comes Stephanus Csáky, Generalis et Commendans Cassoviensis, Comes item et Generalis Franciscus Barkóczy de Szala et Baro Ladislaus Károlyi, qui cis- ut ultratibiscanas partes catholica religione firmarent. Concesserunt itaque Cassoviam, Eperjesinum, Leucoviam, Käsmarkinum, Cibinium et Bartfam lib. regiasque civitates, quarum aedes sacras jam inde a saeculis catholici juris proprias, Lutheranis Calvinisque eripuerunt; deinde Nagybányensem Patribus Societatis Jesu, Sancti Nicolai ibidem Patribus Minoritis, Szathmárinensem autem Societati eidem tradiderunt. Hic optimi patris officio functus est Ladislaus, qui filium stiuni Alexandrum ubique lateri suo adjunxit, ut disceret patris exemplo quid rectum sit in conspectu Dei agere. Non multo post consurrexerunt prope Tokayinum quidam male contenti duce Francisco Tokayo jamque in apertum prodierunt, gravissimam patriae calamitatem illaturi, nisi Károlyi cum armatis illico in agros Tokayienses effusus deditionem urisset, qua obtenta 300 togatos capite damnavit, (?) atque ita almam regno pacem 1687 conciliavit. 1687 Alexander consentiente patre Christinam Barkóczy natam Comitem sibi matrimonio copulavit, quacum annos 36 egit, optime de religione cath. meritis. Pater eius Ladislaus 1689 obiit conditusque est apud PP. S. J. Szathmárinum.

Alexander mortuo patre Szathmárinum concessit ad Castrum suum Olcsva (Ócsvár) saepe ibi, saepius autem Károlyini in gentilitia arce per deverticulum morabatur. Iucundum est sane intelligere, quod dum Alexander nonnunquam aulicos suos in numerum revocaret, non plures duobus supra decem

catholicos numeraret. Ut ergo zelo fidei catholicae propagandae ardebat, dabat operam, ne quisquam eorum refrigesceret. Hinc nunc Szathmárino Jesuitas, nunc Ecsedino curatorem, ac etiam Cassovia Franciscanum evocavit, qui sacris operarentur sacramentisque indigentes reficerent. Tum autem, cum Varadinum in potestatem Leopoldi Caesaris 1693 re-diisset, Alexander non iam alternatim, ut solebat, sacerdotes domi suae asservabat, sed de industria impetratum ab Illustrissimo Antistite Agriensi capellanum, constituto eidem in singulos annos censu, constanter alebat. Post hoc vidit tam religionem catholicam apud familiares florere, quam et complures damnato Calvino catholica sacra profiteri.

Secundum haec ad Varadinensem infulam admotus est Augustinus Benkovics rerum suarum studiosissimus, qui curae suae sublevatores nominavit, Capitulum redintegravit et ecclesiis parochos assignavit. Hac ipsa tempestate tam Patres S. J., quam PP. Franciscani Varadini colonias suas sunt auspiciati. Rarissimos invenire fuerat catholicos longe lateque, qui tamen opibus praepollebant, aut imitatione Alexandri Károlyi, aut instincti zelo varios Religiosos fundavere, parochias constituere. Provincia itaque Szabolcs, et caetera loca quospiam e V.Capitulo acceperunt Curatores, familia Perényiorum Patribus Franciscanis addicta eos ad Szólós, vetus Ordinis sui monasterium reduxit. Sic Munkácsini, Várini et alibi circumquaque majori ex parte acatholicis solum vertere jussis plebani se se stiterunt.

Alexander Károlyi 1699 percussa inter Leopoldum R. et Turcorum Imperatores pace pro majore Dei gloria ad Károly in colle Lyukas dicto ea parte, qua Gencs pagum respicit, Sacellum St. Triadi dicatum a fundamentis erexit, gratum se Deo facturum, qui e barbarorum manibus plagam hanc Ultra-Tibiscanam vindicasset. Hic annus initium dedit vineis Károlyiensibus. Arcem gentilitiam politiore induit forma, omnes hoc anno conclusa pax maxima animi voluptate affecit, quae utinam diuturna exstitisset, sed animis procerum

1703 Hungariae in diversa studia abeuntibus in civile bellum 1703 exarsit, ita ut oleum affudentibus tanto igni principe Transsylvaniae Francisco Rákóczyo et Barone Nicolao Bercsényio factionis auctoribus omnia caedibus, rapinis, incendiis complerentur. Hi etenim plebem spe libertatis*) obtinendae in rabiem convertere atque quod intolerabiles post bellum turcicum exactiones sufferre nequivissent, immensis pollicitationibus et nescio quibus motivis magnam popularium frequen-^{*} tiam armare in regem suum compulere, grandique conflato exercitu lacrimabili novennali sanguinis christiani eluvione miserandum in modum in patriae suae viscera deseientes sacrilegisque ausibus vastitatem toti Hungariae adtulerunt. Colluvies ista rebellium confoederatorum nomen obtinuit eo quod catholici abominandam unionem cum Luthercolis et Calvinianis sacramento coaluissent. Coercuit illos Alexander Károlyi ereptisque eorum quindecim signis continuo triumphanti similis Viennam advolat, redux cum multis avocatum se sentiret, et bona sua per seditiosos direpta videret, neque auxilia promissa a rege obtineret tempestate sese dedit. Sed deinde mirifice patriae lacerae compassus illius vicem quamprimum levare apud se constituit. Jam enim non una clade undequaque adfectis Confoederatis Rákóczyo, qui sibi metuens, complurium illustrium virorum comitatu patria excedente et tam se, quam suos non mediocri desolatione complecte projectus erat. His temporibus 1710 capto a caesareis Ujvárino Alexander Károlyi cum Joanne Pálffy summo id temporis armorum regionum in Hungaria Praefecto egit, ut pax coalesceret, quam universa Hungaria uni Károlyio in acceptis retulit. Jecerat

*) Pulsis e partibus Transdanubianis Turcis, rustici eates olim Turcarum subditi per novos dominos terrestres, qui pagos a Turcis liberatos occuparunt, e partibus superioribus supervenientes, tantopere oppressi sunt, ut vexati miseri maluerint iugum Turcicum subire, quapropter natali solo valedicentes trajecto Dravo ad Turcas turmatim transmigrarunt,

1711, quo Vajae ad Pibiscum Károlyius Palffy o collocutus 1711 exeunte Januario pacis semina. Quare abeunte ad Polonos Rákóczyo Károlyi nec mora coacto ad Szathmárinum, cuius arcem diruit, ne nempe seditiosi se ad eam recipere possent, Confoederatorum senatu mense Aprili in campo Majtényensi Rákóczyano exercitu exauctorato, 149 vexillis regi legitimo substratis a 1. Maji pacem, ut par erat, confecit. Carolus VI. Viennam e bello Hispanico redux, datisque ex itinere ad Alexandrum Károlyium litteris eundem blande convenit, et quod hucusque Baro solum modo exstitisset, inter Comites nec immerito retulit multisque auxit gratiis.

Conditioni huic susceptae ita ipse quoque Károlyi gratulatus est, ut primum litare Superis de re bene gesta, deinde vero religione se obstrinxit Ecquidem cum confertissima hominum multitudine et compluribus sacrorum ministris e civitate ad Sacellum SS. Triados in dicto jam „Lyukashalom” *) processit, sic se suosque Deo ter optimo maximo devovit impetratisque a Sede Apostolica indulgentiis dictum Sacellum locupletavit.

Omnem insuper contentionem suam eo convertit, ut missis temporalibus Deo famularetur. Sic ille templa e fundamentis exstruere, sacella ponere, altaria innovare, claustra et domos religiosas instituere. Hic ipsius fervor ardebat etiam dum Mars civilis fureret, propter quem animum remisit nunquam, sed Dei instinctui parens in Castro suo Ócsvár indulgentia Agriensis Antistitis, translatis Ecsed (Báthoryorum quondam arce) B. M. V. nascentis ara et icone Sacellum illic ab se positum ornavit. Furente adhuc Marte civili prope Munkácsinum ob filium Ladislaum ex peste obeuntem, quamvis

*) Pia populi fides est, collem hunc Lyukas per seditiosum exercitum, qui ad Matény se regi subiecit, in gratiarum actionem pro pace tandem dilaceratae patriae restituta laboriose collatum esse. Fabulatur haec populus, nam collis iam exstiterat cum capella ante conclusam pacem, argumento tamen est fabula, pax quantopere fuerit desiderata.

dolenter tulit, grates tamen Deo acturus, quod cum malis illius temporis eripuerit, munificum se ostendit posita in colle Munkácsiensi aedicula D. Sebastiano sacra

Post haec ut se religione solveret Karolyius vetus Franciscanae Familiae monasterium adhuc 1290 D. Martino sacratum in Kaplony reddidit formae suae compluribusque alendis Religiosis sufficientissime providit adeo, ut hodieque 22 Deo noctes diesque studiosissime deserviant.

1719 Exactis regni comitiis 1719. Commissio regia in negotio religionis instituta Pestinique 1721 habita est,*) cui ipse quoque Alexander Károlyi articulariter optimi commembri partes obiens aderat, multis consiliis religionem catholicam promoturus. Hinc consilia sua cum Exc. Agriensi Antistite agitavit, quatenus ipse bellum haereticis indiceret ac templum illud OO. SS. Károlyini et adhuc tempore Michaelis Károlyi Galvinianis cessum eriperet. Antistes C. Antonius Erdődy 1723. C. A. Károlyi facultatem impertivit, ut ejectas ex ecclesia OO. SS. in aversa oppidi parte locum eis daret pro sectae suae exercitio, in quo etiam templum erigeretur Calvinisticum. Acceptam ecclesiam iurisdictioni PP. Francisc. Kaplonyensium adjecit, quam tenebant hi donec tandem PP. Schol. Piar. cessa est. Rediit ecclesia haec festo OO. SS. in potestatem catholicorum, quo etiam D. O. M. eucharistico litatum sacrificio.

Ut Dominiorum suorum solitudinem repararet, evocatis plane e Svevia colonis complures pagos ac oppida novis hisce hospitibus catholicis complevit, quo studio multum auxit rempublicam catholicam. Károlyini vero, cum iam major catholicorum numerus crevisset, religionem clericorum Reg. Sch. Piar. fundare decernens, exstructo a fundamentis ad latus Ecclesiae OO. SS. Collegio praefixit in annos singulos pro 12. Religiosis censum, eosque necessariis providit studiosissime. Non longe post et Patribus Minoritis,

*) De commissione hac vide Udvary pag. 233,

[71]

quos Conventuales vulgo vocant, in Báthor introductis patrocinated est, quos etiam aere ac aliis necessariis donavit ac stabilivit.

Cum gravissimis imbribus grandineque vineae Erdődenses quaterentur frequentius, ibidem D. Donato Sacellum posuit, cuius dedicationem solemniter ritu quotannis absolvit magno fidelium piorum concursu. In altero item colle alteram D. Urbano aedem posuit, eiusque dedicationem concita omni vicinia 1725. solemniter terminavit

Clerici Scholarum Piarum 1727 die 17. Octobris nu-1727 mero 12 solemniter pompa Károlyinum introducti sunt et 11. Dec. horis vespertinis novum aedificium inhabitandum auspicati sunt.

Aestas solito siccior et tere invisa fertiles alias a natura regni Hungariae oras ita steriles effecit, ut nec locum dixnetendis graminibus admiserit, nisi in partibus palustros, quae prius accessum hominis arcebant, modo securum aditum permiserant. Hanc inauditam siccitatem sagis a potiori adscribunt ex certis fassionibus Szegedini extortis, plurimisque huic arti magicae deditis mense Julio igni combustis numero circiter septem supra decem, plurimis adhuc carceri mancipatis et in suspenso relictis.*) Quae tamen strages non harum arti et malitioso contubernio, verum singulari Dei poenae adscribenda videtur, qui per similia peccatores ad meliorem reducit frugem, cum pecudum etiam cornutarum iactura maxima exstiterit, ne hominum sequatur, exorandum numen et per poenitentiam seriam placandum. Prognosticon erant apes horum, quae examina nulla emisissent, quin imo ne miserias una simul perpeti cogerentur, natura stimulante interemerunt.

Die 24. Sept. fures nocturno tempore fornices castri perfregerunt, unde monilia Illust. Comitissae abstulerunt. Res

*) Károlyini anno 1730 et 1745 plures infelices mulierculae rogo impositae et quae sagae combustae sunt, Ant. Szirmay pag. 78.

[72]

haec ad hoc tempus ventilatur et inquiritur sub strictissimo sacramento, cum potior pars die 26. Sept. ad Patres vicinos (Kaplony) aliata fuerit. Ob suspicionem unus, cuius instrumenta cum vestigiis perfractarum cistarum accordaverant, examinatus, torturae subiectus, nihil tamen fassus, ob illatam dolorum acerbitatem brevi in carceribus exspiravit.

1736 Anno 1736 die 28. Februarii animam Deo pientissime reddidit Illust. Domina Comes Christina Csáky Illust. D. C. Francisci Károlyi desideratissima coniux et in Kaplony honori-ficentissime sepulta est. In arce dein solito more hospites plurimi mensae admoti sunt et consumti 4 boves, 12 currus piscium, 50 agnelli, 16 oves, vini vero 18 vasa, millibus enim duobus apparatus fuit mensa, 7 hinc inde fumantibus culinis pluribus desudantibus cocis. Bene hic vicinos PP. fortuna respexit, totam funebralem pompam occupantes, 6 caballos, currum, materiam nigram, candelas, faces, insignia, quae utique suae sanctae Religionis promotioni, incremento cedant, inviderit nemo.

1742 Anno 1742 die 26. Augusti ad vespertas praeclusa est civitas Károlyiensis ob pestem, quae perduravit usque in 26. Novembris. Postea 1843 die 9. Febr. cessante, praemissa solemni Te Deum processione circa statuam SS. Trinitatis, quam D. Comes Alexander pro religione et domo nostra posuit, aperta et liberata fuit. Durante peste e religiosi clausi hic mansere 6, e quibus duo in dupplici bufone pestifero decesserunt, residui divino servati beneficio salvi permansimus, cui laus, gloria et imperium in saecula. Amen! E paucis incolis catholicis peste decesserunt circiter 152, superstites 9 talibus vix supra 60 permansimus. E Valachis et Ruthenis ceciderunt supra 400, e Calvinis similiter circiter 400. Nullum fuit Lazarethum erectum, nulla domus contumaciae, mixtim vivebant et conversabantur sani et pestiferi, cum nullus fuerit relictus hic intus, cui plebs paruisset unde sola et unica fecit gratia Dei, quod ad pedem non conciderimus.

[73]

Anno 1743 die 8. Sept sub vesperis circa sextam horam 1743 pientissime obiit Erdődini Excell. D. de sua insigni familia primus Comes, Campi Mareschallus, fundator noster gratiosissimus, munificentissimus cum ingenti luctu totius huius vastae terrae transtibiscanae. Conditus est Károlyini solemni ecclesiastico apparatu. In funere octo fecimus stationes in memoriam octo beatitudinum, quibus praedenatum instructum et omatum repraesentavimus. Interfuit toti comitivae ab Erdőd usque Excell. D. Comes, Generalis Franciscus Károlyi, unicus utpote filius, dignus, quem Regia Maiestas multis millibus valente gemmisque vestito ense ornaret. Migravit vero C. Alexander ad beatam aeternitatem cum septuagenariomaior lustrum exegisset. ¹⁾

Anno 1748. Benedictus XIV. complurium regum, epis-1748 coporum aliorumque principum votis annuens dilectissimum parentem nostrum Josephum Calas. post ardentissima vota precesque filiorum, qui iam inde ab integro saeculo piis coelum fatigare suspiriis non destiterunt, Beatorum fastis die 7. Augusti inseruit. Nos hic loci ea qua par erat devotione celebravimus 1749 continuis tribus diebus mense Sept 23—25 festivitatem, cui Excell. Fr. Károlyi cum Comitibus, Baronibus magnoque Spect, Perillustrum, Nobilium ex hac tota plaga confluentium corona tam sacris, quam panegyribus hung, et germ., quam vesperis interfuit. In arce sub sacris explosa sunt omnia tormenta iteratis vicibus.

Anno 1750 die 21. Julii quidam reus mortis effractis 1750 in castro carcerum portis in collegium nostrum se recepit, sed ob immania scelera, quae ipsum asylo excluserunt, mature saluti prospicere volens, PP. rogavit, ut dimitteretur.

¹ Pompa funebris exquisitissima ultra 30,000 flor. Rh. exhausisse diiur. Tumulatus vero est in crypta Kaplonyensi anno seq. die 22. Junii Hist. Prov, SS, Salv. pag. 154.

Illi annuentes eius petitioni, hora 9 eiusdem diei vespertina expediverunt reum, et accidit, ut cum paullo remotius a collegio abesset, se fugae in platea, quam vigiles undique obsederant, commiserit, eum provisor Károlyiensis, Christ. Szaplóczay eques insecutus fuerit et per comam arripuerit, ille autem se liberare non valens, sessorem ex equo deturbatum exploso sclopeto gravissime in femore laesit, ad Cuius ictum ex diversis partibus vigiles confluentes illic adfuerunt, reumque ligatum verberibus saevissime tractatum ad carceres detruserunt. Paucis post diebus exquisitissimis diutissime cruciatibus vexatus et ad rotam condemnatus, hora diei nona cum aliis duobus latronibus ad fatalem supplicii locum evehctus ibidemque ustulatus, distentus, denique vivus rota fractus, nullo tamen miseram hominis sortem dolente, infelicem animam exspiravit.

1752 Anno 1752 mense Maio celebrata est congregatio parochorum apud nos, cui intererant V. A. Diaconus, dein parochi ex Majtény, Csinálos, Mezőpetri, Béltek, P. Guard, ex Kaplony, item noster rector et vicerector. — Pro futura cautela significatur, anno isthoc asylantem quemdam in collegio nostro exstitisse, qui utpote ex honestis, nobilibusque parentibus ortus, plurium mensium spatio servatus, dispensam, conservatorium aliaqua id genus loca cum familia nostra saepius ingressus, quid in iis asservetur, homo nequam observabat. Hic tandem, cum libertatem vitae Pater Rector ipsi impetrasset, nocturno tempore effractis portis plurima damna domui nostrae inferendo gratum suum animum pro praestitis sibi beneficiis comprobavit.

1756 Anno 1756 Exc. Fr. Károlyi natam suam iuniorem Evam lectissimam virginem III. C. a Stahremberg collocat. Senior vero eiusdem Comitum filia Anna diviniore coelestis sponsi nuptias ambitur, relictis paternae domus commodis inter sacras virgines, quas Ursulinas vocant, Deo famulatura Cassoviam secedit.

[75]

Anno 1757. Fuit hoc anno non magna agrorum fertilitas 1757 propter nives mense Martio copiosius decedentes, tum vehementissimum m. Majo et Junio solis ardorem qui agros exurebat; quare Comitatus commeatus loco, quem pro exercitu Regina petebat, parato aere succurrit.

Anno 1768 ardentissima omnium nostrum vota Deus 1768 optatissimo solatio cumulavit, dum S. Patriarcha nostro Josepho Calasancio iam anno superiore a Clemente XIII. P. M. in numerum Sanctorum relato, his ipsis Augusti ultimis diebus solemnia canonisationis eo quo par erat apparatus ac splendore triduo peregrimus, pontificante P. Adamo Horváth S. J. Superiore Szathmár., viro optimo et nostri amantissimo. Undique populi frequentia innumerabilis. Pro concione ad Hungaros eleganter peroravit P. A. Simor S. J., ad Germanos vero in theatro recens pro studiosa inventute posito Antonius Hartmann V. A. D. Szathmár. Károly et Parochus Fényensis; altera die ad Germanos verba fecit Matthaeus Pucher, Parochus Vállajensis, ad Hungaros vero Josephus Zsoldos Majtényensis; tertia denique die hun-garicum sermonem habuit P. Alanus Baton, Cap. Castrensis, germanicum vero P. Fr. Lanzinger Vice-Rector. Omnibus tribus diebus his divinis magna populi frequentia assistebat.

Anno 1769. Hic annus eo, cum primis nomine perpetuis 1769 dignus est fastis, quod Exc. D. C. Antonius Károlyi post decern matrimonii annos anno superiore 5. Oct. optatissimo haerede, filio Josepho coelitus auctus novae ecclesiae alias iam dudum destinatae fundamenta jacere constituent eamque et honori S. Patris nostri dicatam et nostro item Institute devinctam ae propriam esse voluerit. Nimirum 11. Maii lapis fundamentalis in medio muri Sanctuarii depositus est cum tabula cuprea in igne inaurata, cui sequens insculpta est epigraphe:

*

DEO OPTIMO MAXIMO
in memoriam Sancti Josephi Calasancii
in Divorum numerum nuper relati
Scholarum Fiarum Fundatoris
In gentilitio hoc familiae suae Károlyiánae oppido
Nagy-Károly
In perennem grati animi suaeque erga Divos
Pietatis Monumentum
Ecclesiam commodo ordinis populique positurus
Excell. ac Illustrissimus Dominus
Comes Antonius Károlyi de Nagy-Károly
Arcium et Dominiorum
Károly, Erdőd, Bélték, Csongrád, Megyer, Surány,
Ócsva et Salánk haered. Dominus
Ordinis Militaris Regio-Theresiani Eques
Comitatus Szathmár Supremus Comes
Utriusque SS. Caesareae et Reg. Maiestatis Apostolicae
Camerarius et Actualis intimus Consiliarius
Generalis campi vigiliarum Praefectus
Unius Legionis Pedestris, Ordinis Hung. Colonellus
Et Excelsae Tabulae Septemviralis Assessor
cum lectissima coniuge
Comite Josepha e Liberis Baronibus ab Harruker
post decem coniugii annos ardentissimis votis
impetrato coelitus haerede
Josepho Károlyi de Nagy-Károly
filio optatissimo
iam nuper et avo suo magno patriae Patre
Alexandra
et suo item genitore Illustrissimo Francisco
quorum ille scholas pias isthic fundavit
hic easdem insigni confovit benevolentia
id exoptantibus
Maria Theresia Imperatrice vidua Hungariae ac
Bohemiae Regina Gloriosissima

Nec non Josepho II. eius filio Romanorum Imperatore
Invictissimo
Sede Romana post denatum Clementem XIII. P. M.
a trimestri vacante
Ecclesiam vero Agriensem Episcopo Carolo e
Comitibus Eszterházy feliciter gubernante
primum hunc iecit ac deposuit lapidem V. Idus Maii
anno a reparata salute
MDCCLXIX.

Hoc et superiore anno copia Polonorum uti in vicinos Poloniae Comitatus ita in hunc advenerat, cum domi inter Confoederatos et Russos, qui Poryatowszkio opem ferebant ad thronum obtinendum bellaretur.

In fine anni clerici philosophi omnes ex philosophico cursu publicas disputationes sustimierunt, ad quern actum Propositiones typis fuerant editae; hyemalibus vera mensibus rhetores in scenam prodiverunt ludentes Plauti comoediam.

Anno 1777 et 1778 in aedificando templo tota hyeme 1777 laboratum fuit, praeparationem eius mirum in modum Comes enim urgebat. Ad spectandum hoc aedificium aestate a longinquis terris homines confluebant et cum admiratione revertebantur, cum viderent intra paucos annos consurrexisse. Fornix superiore autumnno muris additus fuit, arte et studio Francisci Sieber, murariorum magistri, cujus pater aedificii hujus fundamentis ponendis praepositus fuit sed cum brevi post hic decederet (incola enim Károlyiensis fuit) filius Parisios profectus est, ubi, cum artis suae regulas probe condisceret multarumque rerum experientiam sibi compararet, Károlyinum reversus est magnique eius opera habita est in ponendo hoc aedificio.

Annus praesens illud etiam memorabile habet, quod Exc. fundator noster in duobus recens constitutes districtibus litterariis M. Várad, videlicet et Ungvár Studiorum Regius Director sit delectus, nostrumque Religiosum Nicolaum Révay Architecturae Professorem Váradini esse voluerit in

Scholis nationalibus, quem suis impensis prius Viennam dimisit, ut ibi scientiam hanc excoleret perficeretque. Ardore incredibili hanc provinciam Exc. Comes sustinuit, et cum de Károlyiensibus scholis maxime esset sollicitus velletque ante caeteras promovere, nihil praetermisit, quod ad hanc rem valere iudicavit. Quare adibat scholas frequenter quando vere ac aestate hic commoratus est. Magistros ac discipulos qua praemiis liberalissimis, qua verbis ad diligentiam incitavit, ut revera arserit diligentia in magistris et adolescentibus; fassusque est ipse Exc. Comes, suis in districtibus scholas Károlyienses eminere. Deligebat enim Exc. Director ad regendum hoc gymnasium viros ex quorum sollicitudine et laboribus gymnasio huic publica laus accederet. Constituitque hoc gymnasium in suis districtibus celebratissimum efficere, propterea tam directorem, quam docentes ipse sibi e nostris sodalibus delegit, quorum opera ad propositum veniret, uti revera venit et tantopere celebritatem scholarum Karolyensium promovit, ut ipse Commissarius Regius, Josephus Ürményi, qui per Augustam M. Theresiam ad perlustranda gymnasia missus fuit, primam laudem in regno huic gymnasio palam adscripsit reginaeque significaverit.

Non abs re erit dicere et hoc, tantum confluum hospitem omnis ordinis praesente anno fuisse ad Comitem nostrum, ut nunquam antea aut majorum aut honoratorum virorum fuisse meminerint homines. Quos omnes, quoties ad videndum templi aedificium Comes duxit (duxit vero bis etiam in die) toties domum nostram cum iis accessit semper stipatus scholarum corona, quorum institutionem notam esse voluit apud omnes. Exhortatoris etiam scholastici sermones audivit singulis diebus Dominicis; quando enim matutinam devotionem in ecclesia nostra persolvebat, solitus est cum omnibus postea hospitibus accedere Exhortatorem illius anni J. Chr. Hannulik, Professorem Rhetoricae petebatque sibi legi illius diei s. sermonem et audiebat avidissime.

[79]

Anno 1778. die 14. Junii venit ad nos celebrique pompa 1778 et militum tam provincialium, quam Comitum magno numero circumdatus appulit Exc. Agriensis Episcopus, C. Carolus Eszterházy canonice visitaturus, pro munere suo provinciam Szathmár. Die 15., qui Dominicus fuit, Sac. Confirmationis intra arcis ambitus conferebat, neque enim populi multitudinem aut nostra, aut quae in arce est ecclesia capere potuisset Confluxerunt enim ad nos ex tota vicinia homines. Idque tam horis matutinis, quam pomeridianis fecit etiam die Lunae. Hac die conventio facta circa lecticalem pecuniam petente populo, ne cogatur frumentum nobis pendere. Die 22. iterum confirmavit. Postea ad superiorem Comitatus partem, qua Nagy-Bánya est, discessit. Rediit ad nos rursus in fine Julii audivitque disputantem Magistrum nostrum L. Farkas in arce ex universa Philosophia. Intermit etiam fabulae, quam Rhetores egerunt stylo Plautino deductam. Hoc in ista illius visitatione memorabile est, quod Pastores Calv., dum eos examinaret *), mirum in modum eius humanitate et paterna benevolentia capti fuerint, imo non Pastores tantum, sed populus etiam. Hinc factum est, ut complures de populo ad sacra nostra transierint.

Hoc anno in pago Terem, ubi antea Calv. Pastor residebat agros, prata, domum obtinuimus. Cum enim ex loco isto sensim Calv. homines discederent eoque res veniret, ut solus Pastor maneret, tandem et ipse alio demigravit. P. Rector ad rem nostram valere hunc illius discessum relictumque Oratorium videns agros et prata et Oratorium in suam jurisdictionem transtulit. Oratorium ritu sacro lustravit et sacrum fecit.

*) Mandato regio compulsi erant eorum ministri acatholici, ut Praesulibus cath. visitationem canonicam peragentibus sese examinandos sisterent. Examinati autem sunt de SS. Trinitate, de baptismo et de ratione vitae suae etc.”

1779 Anno 1778. typographiani Exc. C. nobis contulit. Hyems anni praesentis sine nivibus fuit, multae tamen pluviae in metum nos coniecerant, ne superfluous humor spem nobis omnem frugum adimat. Optimus tamen Deus et in agris et in pratis et in vineis ubertatem nobis dedit copiosissimam, ostenditque vanum esse metum, si in ejus providentia spes collocetur. Hyeme hac aurora borealis apparuit diutissimeque perduravit. Eadem hac hyeme obiit parochus Csinálosiensis, qui ab annis 40 et amplius curionem in hoc loco et pastorem vigilantissimum animarum egit. Anno hoc mense Novembri apertae sunt scholae nationales. Constituti ad hoc magistri in aedificio, quod positum est iuxta hortum Excel. Comitis. Quod exordium auspicati sunt magna cum solemnitate, cui et ipse fundator noster adfuit. Non diu tamen magistri hi Karolyini mansere, regio enim mandato Ungvárinum iis migrandum erat. Interim post breve tempus iterum huc capitales hae scholae traductae suut et magna cum celebritate inchoatae.

1779 Die 2. Augusti 1779 dedicata est nova ecclesia. Episcopus initio aestatis Comitatus Marmaros, Ugocsa et Bereg accessit et in iis visitationem canonicam fecit. Superiore enim anno solum Szathmárinensem lustravit. Postea in fine Julii ad nos venit et dicta die consecrationem ecclesiae solemniter peregit et lingua hung, ad concionem dixit. Finito sacro Rss. Erdélyi, parochus Kecskeméthanus, orationem per-elegantem in templo habuit latinam. Postquam hic peroravit hora iam secunda postmeridiana itum ad arcem, in qua Comes lautum prandium dedit 800 hospitibus, qui ex longinquis partibus ad nos confluerant.

Notandum est: Quum terminata concione Episcopus stantem ante se fundatorem Antonium interrogaret: Qualis dos templi huius futura est? reposuit: Ego et mea familia pro dote erit. Item: Quot alet sacerdotes in huius templi curam? respondit: Quot mittet Provincialis Piaristarum. Unde apparuit, fundatorum directa mente posuisse hoc templum

Piaristis et non parochiae, et ipse Episcopus agnovit, templum hoc pro nostro instituto poni. — Altera die, qua Episcopus iterum sacrum fecit et Comes restaurationem Comitatus servans prope mille hospites iterum excepit prandio. Ad utramque solemnitatem hanc carmina dedit P. Hannulik, Prof. Rhetori cae. Fundatrix nostra casulas, dalmaticas, Pluviale etc.

Dicere adhuc debeo, quod occasione consecrationis cum hung, concionatore evenit. Quod de industria in finem reservavi, ut legentibus annum hunc tenacius inhaereat. Fuit pro hung, concione evocatus Varadino Rss. Ant. Gánóczy. Is pro constituto die advenit. Sed cum Episcopus indigne ferret, concionatores ex alienis dioecibus a Comite fuisse evocatos, id dedit operam, ut orationes impediret. Hungaro facile posuit obstaculum. Nam ipse, cum ad nos veniret, intra diem sermonem adparavit. Latinum oratorem, quia impedire non poterat, dicentem non audivit, sed persolutis sacris discessit.

Priusquam anni istius res memorabiles scribere desinam, de lacu, qui circa Ecsedinum est propeque milliaria duodecim suo ambitu complectitur, pauca adiungam: Lacus iste, uti ex relationibus habemus, ortus est eo tempore, quo tumultus regnum nostrum afflixerant publici. Nam cum Ecsed munimentum esset tota Europa celebratissimum, arcis istius Gubernator Rákóczyanus Krassnam fluvium ita derivare occultis viis poterat, ut brevi tempore undique aquis cingeretur. Hae occultae viae et anfraetus diuturnitate temporis, quia non curabantur, obstructae sunt, ut Krassna fluvius deinde

*) Excellentiss. Dominus Georgius e Comitibus Károlyi novissime promissis avi sui stetit et ecclesiam dictam munificentissime una cum contiguo collegio restauravit sumtibus 40,000 flor, aust. val. excedentibus. Imagines in ecclesia praelaudata omnem merentur attentionem, pictae ab Italiae et Germaniae eorum pictoribus celebratissimis et sacrae S. Josepho Calas. in ara maiore, dein SS. Trinitati, Stephano, Ladislao, Emerico, Andreae Avell, Joanni Nep., Antonio et Josepho.

nullum certura alveum haberet. Necesse proin fuit aquam effundi et stagnare. Quae effusio plures pagos iam hominum nostrorum memoria evertit. Et cum in dies maiora damna faceret provinciae huius incolis, coepit tandem malo huic remedium quaerere Gomes Alexander, dein Franciscus parens Antonii, qui factis alveis eam derivare conatus est. Sed quia spes nulla diminutionis aquarum fuit, res neglecta est Ursit hoc opus denique et continuavit Antonius, sed rursus intermissum est; anno tandem labente, posteaquam auctoritate regia Samusii alveum purgari fecisset, et molas, quae in eo fuerunt, sustulisset, ad hoc opus omnem curam adiunxit. Ipse noctes ac dies exegit cum operariis, qui magno numero laborem faciebant. Tempore, quo haec scribimus, ultimis nempe diebus mensis Septembris iam tanta est aquarum imminutio, ut ingentes agri iam eo loco fiant, ubi aquae prius stagnabant, laboratum vero est a mense Martio. Deus det, ut opus hoc ad finem feliciter perducatur, cuius sane perfectionis gloria uni debetur Excell. C Antonio Károlyi, qui magna sedulitate amore patriae suae maximis eam stantibus aggressus est, opusque hoc tanti aestimant homines nostri, quanti fuit aut lacum Lucrinum in Italia aut quemcunque alibi siccare.....Spatio duorum annorum Excell.

Comes eo rem propriis deduxit sumtibus, ut circa circum aqua ad 80 pedes decreverit, spemque optimam omnibus fecerit, fore brevi, ut ubi nunc pisces natant arundoque vento agitur, agricola aratro foenum secet. Quapropter a Sacr. Maiestate in praemium tanti laboris Exc. Comiti nostro bona Rákóczyana, quae hactenus regia possedit camera, donata sunt. Haec de Láp. Nunc redeamus ad priora. Appulit in oppidum hoc, quod ingenti gaudio et festivis acclamationibus personabat, die 17. Maii Sereniss. Archidux Maximilianus. Terminato prandio Comes noster cum Serenitate sua et nobilium ex diversis Comitibus in gratiam Principis huc confluentium copia scholas ingressus est, ubi habito tentamine scholarium, cum Ser. Princeps eorundem modestiam et

eximios in nova norma litterarum initia tradendi progressus brevi tempore - (nam eo ipso tantum anno circa pascha scholae hae nationales in Hungariam per August. Dominam M. Theresiam introductae et hic loci munificentia Excell. Comitis nostri erectae ac suis quatuor provisae sunt moderatoribus et P. catecheta, in quorum stabilitatem 10,000 fl. Comes dedit, oppido etiam centum Imperiales subministrante, cum inquam Ser. Princeps scholarium eximios progressus tam brevi tempore factos experiretur, quantum haec nova norma et facilitati perceptionis, patriae, religioni, ferocibusque subditorum animis poliendis emolumentum allatura esset pluribus verbis testatus est, laudavitque nostri Comitis amorem in suos subditos, caritatem in patriam et publici boni promovendi studium, quod si unquam certe in erectione scholarum nationalium et deductione lacus Láp vulgo quam maxime ostendit. Vesperi eodem die omnes plateae festivo cantu personuere, quem adolescentes nostri, qui odas latinas, hung. germ. in laudem Principis per plateas canentes ediderunt. Obtulit insuper P. Hannulik alias typis mandatas odas Ser. Principi, qui ob lepores poeticos, elegantem ornatumque naturalem fluxum carminis et similitudinem, quam cum Horatianis habent, summis ubique laudibus celebratae sunt Postero die, festo utpote corporis Christi, Ser. Princeps, cereum ardentem manu deferens processioni interfuit. Die 30. Maii iter Serenitas Sua Marmatiam versus continuavit, cumque oriente sole inde discessit.

Anno 1779 nobis coelum iugem fere vultus sui torvitatem, 1779 siccitatem tantam, ut fontes puteique exsiccarentur, in pluribus locis frigora tempore hyemis tanta per duos integros menses, ut ipsae annosae quercus, fructiferae arbores vitesque botriferae prae sicco illo frigore per medium rumperentur. Aestatis tempore grandines, tempestates per tempus aliquod quotidianas fere habuimus. Varia morborum genera, quibus plurimi occubuerunt, nimii calores induxerunt, tantamque locustarum aliorumque insectorum genera iratum

*

numen in partes istas immisit, ut sata prataque longe lateque popularentur; id unum felicitatis nostrae erat, quod tardius, ad maturitatem videlicet satis fructibusque iamiam properantibus, insecta haec venerint, nec repererint aliud, quo ingluviem ventris saturarent quam fagopyrum, quod tenerum adhuc erat, huic eadem tristem quaqua versum vastitatem intulerunt. At metum nobis non exiguum ovula, quae in copia reperta sunt, incusserunt, cogitabamus enim fore, ut futuro vere maturius exclusa omnem regionem devastent; sed liberavit nos propitium numen hoc metu quod duobus potissimum causis adscribimus, primum, quod per Excel! Comitem dioecesanum nostrum preces publicae per totam dioecesim praescriptae et certis diebus exposito Sanctissimo recitandae praescriptae sint, partim sedulitatem et vigilantiam Comitatus, qui homines turmatim ad agros, prata vineasque emisit, ut ova illa colligerent inque ignem proiicerent.

1780 Annus 1780, quasi precibus, ieiuniis et lachrimis fidelium placatum numen proximo elapso multo erat felicius; tanta enim frugum, frumenti vini que copia, ut provecatae aetatis homines dicerent, se tantam omnium rerum abundantiam nunquam, ex quo quidem meminisse possent, in his partibus fuisse expertes, felix etiam ex eo, quod insecta illa, quae hoc anno reditura timebamus, emanserint, pluviae suis temporibus terras inundarint, bellum, etiam, quod atrox ac perniciosum metuebamus, in pacem subito mutatum, metum nobis omnem sustulerit, laetamque regno faciem induerit. Non tamen ita felices eramus, ut non aliquas tristani causas, aut potius aliis quorum tristia fata nuntia fama ad nos detulit, condolendi habuerimus. Initio enim veris tantae circa Posonium Danubii, in Transsylvania Samusii exundationes factae, ut sata ex agris eluerint, vites e promontoriis evulserint imo domos etiam cum pecoribus furentes aquae abriperint. Idibus Aprilis dein magna Venetiarum pars aquis sepulta est, multaque hominum millia periverunt.

Invat praeterea adnotare, anno superiore in oppidum Károly pannifices, in quos sumtus magni facti sunt, introductos et multos praeterea artifices ad oppidum evocatos fuisse.

Anno 1781 Szathmárinensis provincia Augustissimae 1781 Dominae suae, quae pientissime obiit, mensis Januarii tribus diebus solemni pompa Károlyini exequias fecit. Evocati sunt DD. Parochi e provincia, PP. Minoritae Nagybánya, Paulini Szathmárino et Franciscani Kaplonyio. Copiam hominum confluentium ecclesia nostra capere non potuit. Fusius hanc celebritatem describo in II. tomulo odarum mearum, quae oda a me scripta est iubente provincia Szathmár. Inventor totius pompae erat D. Car. Luby, scholarum nat. Director et primarius Cottus Assessor.

Cum Viennam venisset summus Pontifex multi A catholicorum ad eum videndum etiam ex Hungaria et Transsylvania concurrerunt. Imo vir doctus Cornides, Comiti Telekio qui fuit ab epistolis, ad pedes eius etiam proiactus oscula pro more catholico fixit et postea magnis laudibus celebrabat. Anno hoc Sup. regii Directoris munus Excell. noster Comes, quod ab anno 1777 gessit, deposuit. Successit ei, quem ipse commendavit, Josephus e Comitibus Haller.

Post Edictum tolerantiae primus A catholicus rennutiatus est Sup. Comes provinciae Ugocensis, Comes Teleky.

Notari peterit hic etiam tumultus ille, qui 1780 adhuc Szathmárini evenit. N. N. nempe plus nimio Calvinianos premens, qui sunt illa in civitate copiosi, eos detulit apud aulam saepius et multis quidem de rebus. Inter caeteras et ea fuit, quasi coetus cothurnariorum mala fide pecunias colliigeret et catholicos eius opificii opprimeret. Designati igitur ab aula Magistratuales aliquot huius provinciae, qui repente cistas huius coetus occupent et inquirant. Factum est et revera eorum fraus deprehensa in multis. Accepti igitur Károlyinum in carceres illorum permulti sunt. Quare concitatus nimium fuit populus et parum abfuit quin tumultus excitaretur.

Vigilantia ta, en Magistratualium illorum oppressit motus; nam campanas de turri Calv. deposuit, ne illis convocaretur populus et milites adiecit, dum curribus nocentes huc porta-rentur. Sederunt in carcere, donec Imperator Josephus gubernacula adiit, tunc dimissi omnes.

1783 Anno 1783 primus Legatus Pontificius apparuit in aula Petropolitana. Aestas huius anni copiosis plusque nimio frequentibus tempestatibus per totam Europam abundavit. Homines fulminibus occisi plurimi. Toto autumnno has regni partes geometrae militares dimensi sunt.

1784 Anno 1784. Tricesimae inter Hungariam et Trans, sublatae sunt et commercium promotum.

Hoc anno terrae motus frequentes his in partibus observati sunt, uti Nagybányae, Szigethi, pluribusque aliis in locis, quod cum hic prodigii instar haberetur, utpote ubi ea calamitas nunquam antea sentiebatur tunc etiam, dum alibi crebra esset, propterea mihi videbatur commemoranda.

Nivium copia maior erat et diuturnior, quam unquam homines meminerunt ; factumque hinc, ut et pecora multa interirent et plurimi homines rigore hyemis enecarentur. Aquarum effusiones in tota Europa fuerunt ingentes. Viennae et Pragae et in Hungaria nostra damna plurima.

Mense Februario Posonium Episcopi et Provinciales Ordinum Rel. convenerant, ubi inter singulos determinatum fuit, quas in Academias cuiusvis Dioecesis aut Instituti alumni ad studia seu phil. seu theol. mittendi sint; nam regio decreto religiosi omnes et ecclesiastici iussi sunt studia tractare in Universitate et Academiis.

Hoc anno munus Exhortatorum in scholis sublatum est et Sodalitates B. M. V. inter scholasticam inventutem usitatae pro nullis haberi iussae sunt.

In Comitatu Aradinensi mirabile est, quod accidit. Praedones, qui in ea provincia multiplicati fuerunt repente Vice-Comitem Forray in sua domo aggressi sunt, nulloque damno illato secum abreptum in silvarum latibula deduxerunt. Qui,

[87]

quia vir fuit semper erga populum humanus, ab iis moderate fuit tractatus, non tamen prius dimissus, quam vitae gratiam omnibus ab Imperante obtinuisset. Longa est haec historia, quae passim in theatris fuerat repraesentata, spectante etiam ipso Forrayo.

Anno 1785 mense Octobri Abbas Stephanus Rauten-1785 strauch, cui commissa fuit visitatio Seminariorum repentina morte sublatus est Agriae.

Ad praesentem usque annum mos ille hic fuit conservatus, ut miseriores e studiosa iuventute diebus Sabbathi per designatas domos cantarent lytanas B. V. Hoc anno iste mos regio inimitato vetitus est. Aestas huius anni ad-modum fuit frigida et pluviosa.

Anno 1786 ingens fuit fames*) et ingens apud nos frum-1786 menti pretium.

Anno 1787 tota hyems fuit rigida et diuturna. Frumen-1787 tum evehebatur in Marmatiam, unde factum, ut magna rerum penuria non in Marmatia tantum esset sed et hic enasceretur. Imo et morborum multorum causa fuit rerum haec egestas plurimique homines emoriebantur, uti superiore ita et anno praesente, fereque pagi quidam evacuati fuerunt, tantopere mors saeviebat. Praedones grassantur multi.

Aestas tota admodum favens fuit. Autumnus faventissimus, quo copiosas boreales auroras spectavimus.

Hoc anno res Sodalitatis B. M. V. et res Congregationis. St. Trinitatis publicae auctioni exponebantur. Quidquid vero argenteum, id omne fuit, uti et Album utriusque Con-

*) Ezen inség idejében a szegény nép csalánból készített káposztával tengericsutka-liszttel, korpával, s ki ezzel nem birt, szárított hársfahéjbó őrölt liszttel és ebből sült kenyérrel élt. Mitől már előre tartani lehetett bekövetkezett az éhenhalás és 4 hónap alatt Szigeten, az akkor csekély népességű városban 246-an haltak el, nem annyira betegség mint éhségszülte elerőtlenedés miatt. . . : Ekkor hozattak indítványba a husztszőlösi, a técsösztamári, szigetgalicziai és szigetkapniki utvonalok. Sziget Album.

gregationis ad Cassoviensem Cameram ablatum. Campana et imago redemptae sunt.

1788 Anno 1788 die 25. Julii appulit ad nos Exc. Praesul Agriensis C. Eszterházy, qui in has partes ob novarum parochiarum ordinationem secundum regia iussa faciendam venit. Postea Szathmárinum et Nagybányam excurrit, ut opportunum locum pro habitatione Vicarii Ep. aut hic aut ibi circumspiceret. Consilium enim regium insinuavit eidem Imperantem id velle, ut in remotis his, ab Agria partibus Vicarius constitueretur, quare mentem suam ipsi aperiret in utram harum civitatum opportuniorem locum pro Vicario putaret. Praesuli Szathmárinum probatum est.

Hoc anno in his oris siccitas inusitata aestatis in quibusdam pagis puteos etiam vacuos fecit. Quod molestissime accidit praesertim Sándorfalvensibus incolis et cunctis, quorum pagi in collibus sunt positi. *)

Prima die m. Maii Károlyinum inductum est Institutum Pauperum ea forma et ceremonia, quam regium intimatum proscripsit. Ex annuo calculo deinde prodivit, impensos esse in pauperes 1398 flnos Rhen, et 57 cr.

1789 Anno 1789. non modo December, qui ad priorem annum pertinet, sed Januarius etiam huius anni admodum frigidus fuit. Multi homines gelarunt. Hoc frigus etiam mense Martio perduravit.

Anno hoc templum vetus tecto nudatum est. Rosenfeld Commissarius nempe e Transylvania ortus egit, ut illud homines Aug. C. pro usu Oratorii acciperent. In hoc quoque Comitatu pretium tritici nimio opere auctum est ob magnam siccitatem, quae ad mensem usque Julii perduravit. Ultima die Septembris, cum pars aliqua murorum veteris templi deiiceretur et tumbae in quibus erant conditi cineres tam nostrorum Sodalium quam aliorum profanorum hominum, qui

*) Anno 1863 Sándorfalu obtinuit puteum arte, studio et aere parochi sui, Ludovici Dier, qui etiam in oppido S. Csehi felix fuit aquam invenire desideratissimam, exoptatissimam.

olim in cryptis 4 huius templi sepulti fuerunt, cineres in unam tumbam collectos nostri Sodales in coemeterium, quod Hungarorum dicitur, extulerunt ibique terrae mandarunt.

Hoc anno Rex resolvit, ut docentibus schol. piarum singulis ex aerario regio flor. 50, directoribus autem 100, ne petere cogantur a superioribus res minutiores numeretur. Remuneratio haec effecit in tota provincia 4000 flos. et quod plus est.

Annus 1790 multis rerum conversionibus nobilitatus est. 1790 Priusquam diem supremum obiisset Iosephus II. et generalem conventum admisisset, ut in eo milites et frumentum in subsidium militiae peteretur, iam a Comitatu isto et frumentum denegatum et determinatum, nobiles plane nolle ad comprehendendos iuvenes operant addere, id qui fieret, videret publicus magistrates. Conventus hic celebratus fuit mense Februario, ipsaque nobilitas constituit se velle conventum generalem Szathmárini habere mense Martio. Szathmárini deinde constitutum erat, ut omnia dimensionis scripta quaecunque fuerunt, publice igni crementur. Expediti itaque Szathmárino sunt Assesores aliquot, qui hinc omnia curribus eo deveherent et postquam delata sunt ad ripam Samusii cremabantur. Improvide! Congregatio generalis dein die 13. Aprilis in schola equestri Comitatus haberi debuit ob multitudinem confluentium. Hic votis communibus Vice-Comes proclamatus est C. Luby et alter Franciscus Cseh. Notarii quotquot delecti sunt fuere omnes Helv. Conf.

Anno 1791. vindemia fuit admodum copiosa et quia 1791 post duos tresve sterilitatis annos annus hic frumentis uberissimus fuerat, quae mensura prius 20 vel 22 Marianis venibat iam 4 vel 5 emi potest. Ingens pauperiei solatium, confusio vero eorum, qui pecuniis conservandis studentes vetus etiam frumentum in tempus caritatis adhuc maioris conditum asservarunt Piscium tamen penuria summa est, qualem vix saecula tulerunt, quam priores tres sicci anni et effusiones anni huius effecere.

1792 Anno 1792. Colenda, ut dici solebat, seu benedictio domorum, per Josephum II. sublata postliminio reducta est.

1793 Anno 1793 arx familiae fere a fundamentis reparatur. Hortus in Anglicanum commutatur sensimque faciem novam induit. Novo Domino nova placent. Die 23. Maii hora 12. turbo ingens, tuba marina dictus, damnum 10,000 florenorum in silva Somos arboribus causavit, siquidem fere 600 radicitus evulsit, plerasque mutilavit ramis aut verticibus truncavit.

1794 Anno 1794 in sinum matris ecclessiae reversa est uxor Martini Bagosi. Anno proximo sacellum SS. Triadis fulmine tactum reparatum fuit.

1797 Anno 1797 aestas timorem omnibus incussit, quod pluviis penitus careret et ardor solis nimius esset. Defectus frumenti, foeni et olerum. Anno hoc cura sacelli in arce nobis tradita est, quam ab annis 20 et amplius capellanus arcensis gessit. — Museum physicum, postquam philosophia hic tradi desiit, ad arcem reportatum est.

Die 10. Nov. Ser. Palatinus regni, Archidux Josephus lustravit insurgentes ex provincia Marmaros, Bereg et Szathmár isthic congregatos. Huius provinciae insurgentibus stativa hiemalia obtigerant ad Posonium, ast quia indisciplinata magna eorum pars fuit, facile 300 ex stativis profugerunt domum diversis viis, quos Comitatus statim remisit, poenam subituros, cum tota legio in patriam redierit.

Eiusdem mensis Novembris die 18. Comiti nostro Josepho Viennae natus est filius, qui Stephanus, quum sacris tingeretur undis, nominatus est. Natus fuit post horam 8. vesp. quod Comes per celeres nuntios Vindobona Károlyinum denuntiavit, oralis per litteras, ut per omnia illius bona publicae gratiae Deo agantur hymno Ambrosiano. Nos id praestitimus die 26. Lautum prandium in arce. In nativitatem Stephani Comitis scripsit odam P. Hannulik, quam liberalitatem Comes remuneratus est.

Die 5. Decembris ruptae duae campanae refusionis ergo deiectae sunt e turri. Erant hae ex iis campania, quas Excell. Comes Antonius Budae procuravit disiectis Trinitariis in cellis minoribus B. M. Virg.

Die 1. Novembris benedicta est ecclesia Szathmárinensis per Rss. Canonicum Agr. Tajer, qui iam anno superiore Majtényensem benedixit. Szathmárinini, licet senatus sit majore ex parte Calvino addictus, tamen interfuit solemnitati et prandio multos excepit hospites in domo parochiali. Nam civitatis sumtibus positum est templum volente Rege, cum patronatus ius sit penes civitatem. Diu multumque tergi-versabatur in aedificatione civitas; sed serio tandem admonita opus perfici curavit. Erat quidem Szathmárinini templum catholicum quod olim arcense fuit dictum, dumque praesidiarii Austriaci in arce essent temporibus Principum Transilv. rem divinam sacerdotes r. cath. sacra ibi faciebant, et inducti Jesuitae in arce s. curiones praesidiariorum egerunt, ibique confirmati domum et ecclesiam eam retinuerunt tunc etiam, postquam arx disiecta est. Nam ultimis quidem Rakóczianis tumultibus excesserant inde, verum postea aetate Alexandri, aut potius Ladislai, qui pater fuit prioris Szathmárinum redierunt. Sedium quidem Károlyini fixerant, at Turca Varadinum occupante, ad tutiorem locum, videlicet Szathmárinum transierunt; quo tempore Ladislaus filium Alexandrum Posonium pro studiis demisit, qui Buda expugnata ad patrem Szathmárinum rediit, diuque ibi habitavit, donec nempe expugnato Viradino arcem Károlyiensem praesidiarii milites reliquerunt. Tamdiu enim pro confiniaria arce ab Austriaco milite tenebatur. Exortis Rakóczianis tumultibus Jesuitae Szathmárinino abire cogebantur, quibus compositis iterum eo reversi sunt et non tantum curam parochiae susceperunt, sed pueros etiam docere exorti sunt, ac in vetusto illo templo, quod eorum domui adiacebat, non tamen contingebat, sacra peragebant, quod disiecta etiam arce, vocabatur arcense. Sublatis Jesuitis parochus eo inductus est,

qui quia templum ad ruinam proximum esse videbatur, demoliri illud curavit et in domo civica sacra sua faciebat. Qui brevi post apud R. Cons. obtinuit, ut parochia sibi aedificaretur, cum eo usque in diversorio hospitium haberet. Imo apud M. Theresiam et id consecutus est, ut novum templum pro catholicis erigeretur. Ad cuius aedificationem ipsa Augusta Domina 10 millia transtulit, quae eidem civitas nescio in quale subsidium obtuletat. Fundamenta ergo iacta sunt 1790, ast sanctuarii, tantum et haerebant per multos annos et ne civitas templum Catholicis cogatur erigere ius patronatus praesertim anno 1790 post mortem Josephi II. dimittere violuit, quod tamen admissum ei non est, imo post paucos annos serio admonita fuit, ut templi; aedificationem continuaret, quam brevi post perfecit, imo internum quoque apparatus fecit. Aedificato autem hoc templo etiam Oratorium Calv. amplificatum fuit, non tamen civitatis publicis impensis.

Parocho Szathmárinum inducto, iussi fuerunt Paulini scholas ibi docere, fuitque ipsis ad habitandum tradita domus Soc. Jesu et sacellum cum scholis in vicinia domus erectum. Verum Paulinis imperante Josepho II. dissipatis, scholae, quae Grammaticae fuerunt, esse desierunt, quoad posterioribus annis nationales inductae sunt, frustra Comitatu apud Consilium E. agente, ut latinae reducerentur. Domus Jesuitarum, quam Episcopus Agriensis pro Vicario comparaverat, eo mortuo per Episcopum vendita est. Jam erat Vicarius constitutus Rss. Tajer Canonicus, ast cum 1790 Szathmárinum transire parasset, evenit mors Josephi et institutio muneris vicarialis cessavit. Quae et omnibus grata fuisset et religioni perquam necessaria, ut hoc seit, cui res in Cotta Szathmár catholicae perspectae sunt.

1799 Anno 1799 hyemis rigor et nivium copia diu perduravit. Potest certo prasens hyemes inter rigidissimas connumerari. Nives ubique copiosissimae et dein vere annium et fluviorum magna effusio, quae in processu Szamasköz

per mensem quoque Maium duravit. Aestas frigidas et noctes et dies habebat.

Hoc anno P. Hannulik novos quatuor lyricorum ac unum epodon edendos misit Pestinum, cum vehementer urgeretur, ut quaecunque lyrica scripsisset ab anno 1782, quo anno prodierunt iam typis Károlyensibus quatuor libri lyricorum ac unus epodon in tomis duobus, ea omnia in unum corpus quasi colliigeret et vulgari pateretur petente id praesertim Rss. Michaelae Denis Exjesuita, custode primario bibliothecae caes. Viennensis. Idem iam anno superiore opus his., quod Comitatus Szathmár res vehementer illustrat, censurae Budensi sibiiecit, probatumque fuit. Erat hoc manuscriptum Notarii Nagybányensis anni 1665 hungarice scriptum, quo ille sui temporis historiam connotavit praecipue, quae hic in Cottu evenere. Vertit hoc P. Hannulik ita in latinum ut Notarius si revivisceret, vix ipse suum fateretur. Nam et auxit multis in locis ex coaevis scriptis et alium ordinem secutus est versor, qui ante triennium cum historiae Szathmár. Cottus servientia colligeret, incidit in hoc manuscriptum. Scriptum hoc post censuram D. Vice-Comes Luby adse recepit et sumtibus Comitatus typo daturum recepit iam anno 1798, sed ne nunc quidem nihil movet, nec scriptum in manus versoris reddit. — Patris Bilek opus e germanico versum in hung. iam Viennae prodit, qui ante plures etiam annos edidit tres libros epigrammatum.

Hoc anno vindemiae iusto tardius ipsis primis diebus Novembris erant. Pluviae fuerunt copiosae.

Anno 1800 die 3. Februarii provinciae huius Magistratus 1800 solennes exequias absolvit in templo nostro pro defuncto Primate regni Josepho Bátthyányi. Orationem latinam clixit P. Rector Koppi, P. Hannulik vero odam scripsit. Utrumque opusculum typis vulgari curavit Comitatus.

Anno 1801 in vicinum pagum Szaniszló, in quem non 1801 ita pridem Svevorum colonia introducta est, parochus datus nomine J. Vitkó, uti anno superiore administrator ad József-

háza. Utraque possessio iuris est Károlyianae familiae, quae ab Alexandra. Comitibus tempore multiplicavit hoc in Cottu parochos per stiam ditionem. Nullius enim nunc est, quem ille non illocasset. Illocatis enim in oppida et pagos Svevis ab exordio statim sunitibus familiae parochi alebantur, donec tandem incolae numero et opibus aucti parochos coepissent intertenere. Motibus Rákóczianis Compositis, quo tempore pauci plane inveniebantur in Cottu hoc Catholici, mox ad veram religionem multiplicandam se convertit Alexander Comes, ab eoque tempore non cessant eius posterius sequi hic hoc sanctum propo-Situm.

Exeunte mense Aprili vineae adustae sunt, fructusque arborum exinaniti. Utinam saltem agris nostris sitientibus Deus det pluviam, qua nunc etiam, cum haec die 10. Maii scribo, caremus caruimusque paene toto vere. Feni iam spes nos deseruit. Messis tamen fertilis fuit, ast in vindemiis defectus. Pecuniae aureae et argenteae propter bellum gallicum magna raritas. — Hoc anno Comes e Bohemia evocavit ad ustrinam vitrariam 36 huius artis peritos operas.

Anno 1802 publicatum fuit mense Aprili novum systema litterarium. Mense Junio ingens grando. Aestas sicca. Vineae grandine vapulabant. Feni defectus. Erucae in cunctis regni partibus depastae sunt plantas et ipsa nasturtii folia.

In comitiis anno hoc habitis diligenter actum est de episcopatu in Cottu Szathmár erigendo. Ipsi Cottus ac civitatis Szathmár. ablegati commissum sibi habuerunt, ut si quid de Episcopatu in hoc Cottu erigendo ageretur in comitiis, pro eius sede Szathmárinum constituenda ipsi loquerentur et facerent omnia diligenter. Vicecomes D. Luby, qui hoc anno in oppido Vasvár tempellum aedificando terminavit, hanc propositionem se custodivit sibi commissam, ut Regem semel ac iterum accederet, supremus quoque Comes Josephus Károlyi apud regni Palatium pro hac sententia multum peroravit. Et licet ab exordio paucos sibi adhaerentes hi duo haberent, quod quilibet Nagybányam digniorem episcopi sede locum duceret,

tamen postremo omnes horum sententiae subscripserunt. Luby negotium hoc vei maxime apud aulam per Hungaricum rerum conferentialem ministrum Somogyi promovit.

Anno hoc nivium tanta copia, qualis a plurimis iam 1803 annis non fuit observata. Nives hae ad 26. Febr. dissolutae non sunt, frigus mansit.

Mense Augusto venit ad civitatem Szathmár a rege, quae plerumque a Calvinianis conflata est, mandatum, ut commissariis regiis, qui proxime venturi sunt, ut de episcopo illuc illocando cum civitate agant, fundos pro episcopo, pro seminario et sex canonicis exhibeant. Dixi superius civitatis ablegatos in comitiis pro hac re egisse. Regis consensus secutus est. Catholici pro instructione suprafata danda hoc usi sunt argumento apud senatum: Grata erit regi haec res futura, etiam si hoc admiserit. Nunc iam quando mandatum venit obstupere Protestantes, qui serio nolebant in suo gremio episcopum cath. habere, maxime quod ipsi Debreczinenses id illis exprobrarent, et futura dicerent, ut Protestantismus in urbe debilitetur, si episcopo sedes ibi stabiliatur. Itaque hoc decreto accepto dubitarunt iam gratias agere, sed catholici iterum urserunt, ne differat civitas gratiarum actionem Suae Maiestati mittere, ne inde offensa R. Maiestatis sequatur; igitur statim decretum, ut Notarius primo tempore hunc laborem perficiat. Uti etiam tamen perfecit, ut a catholicis hic labor melius perfici non potuerit.

Mense Septembri, quam parochiarum conscriptionem Comitatus renuebat superiore anno praestare, hoc anno praestitit. Anno hoc ubertas vini maximam in toto regno fere.

Mense Octobri Vicarius G. cum Vécsey qua commissarii 1804 regii venerunt Szathmárinum in negotio erigendi episcopatus, ast erigendorum Szathmárinum aedificiorum pretia, formas et determinantes cetera mutuis consiliis, supra tercentena millia pro aedificiis et fundis impendenda esse Viennam nuntiarunt, Nagybányae vero dimidium requiri, propterea

hoc consilium convertendum esse. — Nagybánya iam sub Carolo III. determinatum fuit, ut episcopus inducatur, iam etiam denominatus eo iam fuerat, non tamen illic venit. Vicit tamen D. Luby apud regem, licet rex prins pro Nagybánya staret, vicit autem argumente, quod sedes Episcopi Szathmárini religioni cath. necessaria esset in Cottu Szathmár, minime vero opportunus locus esset Nagybánya, quae civitas in circuitu suo praeter unam nullas parochias cath. numeraret.

Paullo prius quam dies festos paschales celebravimus, auditum iam nobis est, L. B. Steph. Fischer clementissime renuntiatum esse Eppum Szathmár.

Maium habuimus oppido frigidum. In Marmatia ingens fuit frumenti pretium et typographia erecta. Ne posteri ignorent, adnotare censui, hoc anno vias ad Kaplony arboribus esse ornatas Utinam et alibi!

Die 1. Augusti adpulit Episcopus et e studiosa iuventute quatuor adolescentes in album cleri iunioris retulit. Szathmárinensis civitas fundum unum, in quo popina civitatis stetit, sine pretio obtulit pro domo canonicali, quo accepto Agriam rediit Episcopus.

Die 25. Nov. primi clerici ecclesiastica veste induti sunt Szathmárini et coepit iis Philosophia praelegi. Res Episcopi vehuntur omnes ad Erdőd, ubi eidem vidua Comitissa habitationem pro tempore concessit, interim ei etiam in seminario commoditas instructa est Szathmárini. Initia haec augusta sunt, quae nos ideo adnotamus, ut posteri, cum viderint Szathmárini amplas ecclesiasticorum commoditates, recordentur: Omnia magnarum verum tenuia esse principia. Ceterum precamur, ut quae nunc in ea urbe inchoantur, religioni cath. fauste feliciterque eveniant.

Propter longum pluviae defectum non poterat terra arari nec autumnus poterant agri inseminari.

Die 23. Dec redivit huc Episcopus et sequenti die Erdödinum properavit, solempni pompa ubique exceptus.

[97]

Pro canonicis fundi iam per civitatem assignati sunt et persoluti, pro episcopio vel seminario domus comitatensis vendita est, pro eodem scopo quidem per civitatem ostensa domus ea, quae olim fuit Jesuitarum, dein Paulinorum et iubente Josepho II. pro Vicario G. emta, quam tamen Eppus post mortem Imperantis vendidit, iam que ad manus D. Uray devenit, qui eamad usum Episcopi concedere renuit*).

Episcopus ab exordio muneris sui Districtum Szathmár-Károlyensem divisit, in Károlyensem et Erdődensem, quique prius dicebatur Submontanus. Futuri anni initio, idest 10. Febr. installati fuerunt sex novi Canonici per Rss. D. Tajer Agriens. Can., die verb ea, quae est a nativitate Francisei I. celebrata, installatus fuit Episcopus. Deputati Marmatiae propter nives venire non poterant. Installatio fait solemnitas. Nihil tale unquam vidit civitas Szathmár. Prandium in quatuor locis. Vesperi illuminatio.

Mox vocavit nos Episcopus ob futurum Szathmár. gymnasium, ast res non successit, licet nobis iam pro collegio et gymnasio locus fuerit assignatus.

Et haec sunt, quae plures clerici regulares Schol. Piarum Károlyini quam diligentissime memoriae prodiderunt et quae typis exscribentes maximas habemus atque agimus gratias A. R. Patri Sigismundo Lévy pro singulari humanitate et promptitudine, qua nobis historiam domus Károlyiensis in usum concedere minime dubitavit.

*) Comparavit tardius domum hanc proprio aere Illust, Episcopus Florianus Kovács.

VI.

Notatu digna statistica.

1804 Fuerunt autem anno 1804 in toto Comitatu Szathmárinensi secundum annotationem Antonii Szirmay in opere praeaudato:

| Nr. | In Districtu | Parochiae | Animae Catholicae. |
|-----|-----------------|-----------|--------------------|
| 1 | Szathmárinensi | 7 | 3683 |
| 2 | Nagy-Károlyensi | 9 | 10101 |
| 3 | Erdődensi | 7 | 6819 |
| 4 | Nagybányensi | <u>9</u> | <u>5885</u> |
| | | 32 | 26,488. |

Numerus

Parochiarum, quae post constitutam dioecesim Szathmárinensem inde ab anno 1804 erectae sunt.

| Nr. | Nomen Parochiae | Annus erectionis | Nr. | Nomen Parochiae | Annus erectionis |
|-----|--------------------|---------------------|-----|--------------------|---------------------|
| 1 | Kálmánd | 1804 | 7 | Mérk | 1834 |
| 2 | Sáros-Oroszi | 1810 | 8 | Borsabánya | 1835 |
| 3 | Kis-Kapos | 1815 | 9 | Marokpapi | 1836 |
| 4 | Szakas | 1816 | 10 | Lázári | 1838 |
| 5 | Papos | 1822 | 11 | Csomaköz | 1840 |
| 6 | Akna-Szlatina | 1833 | 12 | Pusztá-Dobos | 1843 |

[99]

| Nr. | Nomen Parochiae | Annus erectionis | Nr. | Nomen Parochiae | Annus erectionis |
|-----|--------------------|---------------------|-----|--------------------|---------------------|
| 13 | Császlócz | 1846 | 19 | Szinfalu | 1861 |
| 14 | Felső-Remete | 1847 | 20 | Halmi | 1861 |
| 15 | Nántü | 1850 | 21 | Ubrezs | 1861 |
| 16 | Turia-Remete | 1854 | 22 | Dracsina | 1863 |
| 17 | Nyir-Csaholy | 1857 | 23 | Lajosvölgye | 1863 |
| 18 | Mező-Terem | 1860 | 24 | Szólós | 1863 |

Ad tabellam hanc illustrandam operae pretium erit exhibere quoque statum dioecesis de anno 1788 prout sequitur.

VII.

Status

*partium hodie dioecesim Szathmárinensem constituentium
anno Domini 1788 e Calendario dioec. V. Cleri Agriensis
eiusdem anni.*

I. Arohidiaconatus et Comitatus Ungváriensis.

Archidiac. Rss. D. Georgius Nozdrovitzki, Parochus Ungvár.

Csicser. D. Andreas Dsugány.

Dobóruszka. D. Fabianus Pobjetzki.

Domonya, D. Thomas Javorka.

Kis-Ráth. D. Josephus Sárosi.

Ór. D. Josephus Patala.

Pálócz. D. Josephus Kostyek.

Szena. D. Martinus Majertsik.

Tiba. D. Paulus Zsigrai,

Vinna. D. Josephus Skulteti.

In Gymnasio Ungváriensi.

Scholae Humanitatis Professores.

D. Michael Taschler et D. Joannes Balogh.

Scholae Grammatices Professor. D. Josephus Katona.

Capellani in eodem Archidiaconatu.

Ungvár. A. R. D. Josephus Miller et P. Joannes Szandvovics, Ex-Paulinus.

II. Archidiaconatus et Comitatus Marmarosiensis.

Archidiaconus vacat.

Szigeth. A. R. D. Stephanus Balog, Vice-Arch.

Bocskó. D. Joannes Groftsik.

Dombó. D. Joannes Török.

Huszt. D. Ignatius Hubert.

Kobola-Pojana. P. Henricus Peltze Schol, Piis.

Kőrösmező. D. Aloysius Heilmann.

Mokra. P. Franciscus Jaeger, e Schol. Piis.

Rhónaszék. D. Franciscus Peer.

Técső. D. Carolus Stark.

Visk. D. Joannes Materklaszy.

Capellanus Szigethini D. Joannes Plessinger.

III. Archidiaconatus Szathmár et Ugocsa canonice
uniti in Comitatus cognominis.

Archidiaconus Rss. D. Antonius Hartmann, Cath. Eccl. Agriensis Canonicus h.
et Parochus Fényensis.

Districtus Szathmár-montanus.

Szinyérváralja (Pedemontum). A. R. D. Joannes Kaltsó, Vice-Archidiac.

Nagybánya. Rss. D. Nicolaus Edlspacher de Gyorok, Canonicus hon.

Felsőbánya. A. R. D. Franciscus Eötvös.

Dara. D. Andreas Rosenauer, Administrator,

Gyarmat. D. Paulus Mursits.

Jánk. D. Antonius Kelle.

Miszbánya. D.

Szathmár. D. Ignatius Tumliertz.

Giródtótfalu. P. Ludovicus Pál, Guard. Nagybányensis.

Capellani. Felsőbánya. DD. Christ. Koch et Michael Novák.

Nagybánya. DD. Joannes Hamulyák et Laurentius Grünwald.
Szathmár. D. Joannes Schmotzer.
Operarius in Komlódtótfalu. P. Emericus Kováts, Ex-Paulinus.

Districtus Szathmár-Nagykárolyensis.

Fény. Idem, qui Archidiaconus.
Erdőd. A. R. D. Michael Korom, Vice-Archidiac.
Alsó - Homoród. D. Josephus Lósnyai, Administrator.
Barlafalu. P. Fridericus Poór, Ord. St. Francisci.
Béltek. D. Matthaeus Pucher.
Csanáros. D. Antonius Voborzil. Parochum adiuvat D. Jacobus Linth.
Kaplony. P. Valentinus Gyurtsánszky, Guardianus.
Majtény. D. Joannes Hagymásy.
Mező-Petri. D. Paulus Falk.
Nagy-Károly. P. Ignatius Lelovics e Scholis Piis.
Sándor falva. D. Michael Halász.
Vállaj. D. Paulus Sponrafft.
Vitka. D. Andreas Gyetvay.

Capellani. in hoc Districtu.

Majtény. D. Michael Krammer.
Mező-Petri. D. Stephanus Németh.

Districtus Ugocsensis.

Királyháza. D. Stephanus Dul, Vice-Archidiacon.
Fancsika. D. Andreas Kossitzki.
Kökényesd. D. Georgius Kováts.
Tiszaujlak. D. Franciscus Horváth.
Tur-Terebes D. Antonius Fischer.

Numerus Parochiarum fuit eotum 49. Numerus animarum et nomina filialium in Calendario praefato desiderantur. — Alumni omnes in centrali Seminario Pestano educabantur. —

Domilia Religiosorum erant: Nagy-Károly, Szigeth, Nagy-Bánya, Kaplony et Nagy-Szőlős. —

Notari dein meretur in Felsőbánya fuisse in parochia Conservatorium typographiae Agriensis, in quo prostabant venui libri, qui in typographia excudebantur, latini, hungarici germanici et slavici. Ex indice Calendario adiecto locupletissimo in patulo est, eotum litteraturam theologiam apud nos magis floruisse quam hodie. — Causa e qua numerus librorum theologorum de anno in annum imminutus fuit, abs dubio erat sublatio societatis Jesu et complurium monasteriorum regnante Josepho II. Ipse Franciscus Toldy in historia litt. Hung. non dubitat asserere: „a jezsuiták eltörlése a hazai irodalomra nézve valóságos csapás vala.” Iuvat praeterea adiciere Catalogam Societatis Jesu, prout fuit apud nos anno 1754.

Anno 1754.

Societas Jesu in dioecesi sequentia numeravit
membra et domos :

Collegium Ungvárinense.

R. P. Josephus Reck, Rector, Proc. Praef. Schol.

P. Ignatius Reviczki, Minister. Praef. Eccl. et San. Dec. Cas. Bibi. Oper. Cons.

P. Franciscus Pallovics, Conc Dom, Exh, Quad, et 4 temp. Hung. Praeses Cong.
Agoniae Corr. Lector Mensae, Oper. Conf. Domus.

P. Josephus Kraus, Praef. Spir. Mon. et Exam. Cand. Fac. Conf. et dat pun. FF.
dat Exerc. Extern. Nat, Germanicae Oper.

P. Ladislaus Kende, Cone Fest., Catecheta Hung, hab, Cur, Care Oper,

P. Stephanus Bartovics, Oper.

Professores inferiorum scholarum.

P. Josephus Fischer, Rhet. Poet. Praes. Cong. Stud. Hist. Domus. Oper.
M. Joannes Simor, Synt. Gram.
M. Joannes Nagy, Princ. Parv.

Coadiutores.

Adamus Schwinghaimber, Adjunct. Apoth.
Christophorus Härtl, Apoth.
Fridericus Stayer, Empl. Disp. Cell.
Ignatius Scheibenpflueg, Coc hab. curam horti.
Josephus Mayer, Soc. P. Prov. Oeconomus.
Michael Lippert, Inf. Jan. Juv. Cell. Michael Mondschein, Sac. Praef. Lan. et
Lin. Supell. Cred.
Sacerdotes 7, Magistri 2, Coad. 7, Universim 16.

Residentia Nagy-Bányensis.

P. Franciscus Szabó, Superior, Paroch.
P. Andreas Neogradi, Praef. Spirit. Mont. Oper. Hung. Germ. Slav.
P. Franciscus Andrásy, Conc. fest. Catech. Hung. Praef. Schol. Praes. Cong.
Agoniae hab. curam Carc. et scholarum triv. Oper.
P. Michael Rieff, Conc. Dom. et Quad. Hung. Conf. Dom. Oper. Hung. et
Germ. Cons.
P. Thaddaeus Manner, Conc. Dom. et in fest. Mar. Germ. Conf. Dom. dat punct.
FF. Oper. Germ. Ital. Cons.
P. Franciscus Szuhányi, Gramm.
M. Joannes Szilágyi, Synt. Gram. Hist. Dom.
M. Gabriel Csernel, Princ. Parv.

Coadjutores.

Andreas Tarnóczy, Sac. in utroque templo, Emp. Disp. Cred. Inf.

[105]

Franciscus Reffler, Praef. Lan. et Lin. Supell. Cell. Jan. Godefridus Trukhasitz,
Oecon. Dom.

Sacerdotes 5, Mag. 2, Goad. 3, Universum 10.

Residentia Szathmárinensis.

P. Michael Csiba, Sup. Par. Oper.

P. Raphael Almásy, Conc. Dom. Praes. Cong. Agon Conf. Dom. Oper. Cons.

P. Georgius Frölich, Conc. fest. Catecheta. Oper. Hist. Dom.

Melchior Schike, Coc. Empt. Disp. Oec.

Sacerdotes 3, Coad. 1, Univ. 4.

Nota. Hoc tempore scholas Szathmárinensium non habuerunt.

Missio Felső-Bányensis.

P. Joannes Buzás, Sup. Paroch. Conc. Hung. fest Praef. Eccl. Oper.

P. Joannes Szaleffi, Conc. Dom. et Catech. Hung. Oper.

P. Michael Linde, Conc. Germ. Conf. Hist. Dom. Oper.

Notandum. In quolibet Collegio fuerunt praeter notata officia: Cura fenestrarum, lucernarum, munditiei Domus, Directoris horologii, Praefecti sutoriae rei vitariae etc. Excitatoris, Visitoris nocturni, Meditationum, Examinum; Praefecti hospitum, chori, familiae, pauperum studiosorum, communis cubiculi, graduum, rerum comicarum; socii concionum, catechesium etc. Confess. Templi, quod sacerdotibus omnibus, — Confessarii Domus, quod Praefectis Spiritus, — Socii exeuntium, quod coadiutoribus omnibus fuit commune.

VIII.

Abbatiae et Praepositurae

intra ambitum dioeceseos existentes.

B. M. V. de Poroszló.

Abbatiae huius memoriam vindicat quidem sibi dioecesis Szathmárinensis, ast nullo vacat dubio, Abbatiam hanc, prout et Fuxhoffer tenet, ad fluvium Tibiscum in provincia Hevesiensi, proin in Archidioecesi Agriensi situatam fuisse. Anonymus Belae Regis Notarius vocat eam Purozlu. Memorabilis est compositione Belae IV. et Stephani V. — Petrus quidem Pázmán Abbatiam hanc in Cottum Marmaros locat, ast nullo probari potest documento, huius nominis locum in Cottu Marmaros aut olim exstitisse, aut nunc existere. Péterffy in notis ad Catal. Pázmán de Abbatia hac sequentia habet: „Poroszló Abbatia in Cottu Heves, cuius mentio est in Privilegio Episcopi Agriensis super Eörs.” Initio saeculi XIII. iam floruit.

Abbas: Rss. Dominus Antonius Mayerhold et Rss. D. Josephus Reither, Parochus Nagy-Marosiensis.

Praepositura de Ocsa.

Praepositura haec, alias de Olcsva-Apáthi, Olcsa, Olsva dicta, fuit Praemonstratensium et floruerat ante cladem per Tartaros patriae illatam seculo XIII. Testator id Catalogus P. Pázmán, dein Ludovicus Stivagi in historia

Praemonst. II. 391, qui asserit, hanc Praeposituram pertinere ad Praepos. St. Stephani in Promontorio Várad. sitam, tamen esse in dioecesi Agriensi. Nominat eam Oca corrupto utique nomine ex Olsva, prout et Praeposituram Türje Thyrlé dicit. Carolus Wagner, Praemonst. Ord. Canonicus R. et Fuxhoffer eam aequé Olsa vocant. Ex Clementiis VI. P. M. litteris in patulo est, Praeposituram hanc furore Tartarorum, qui, prout apud Antonium Szirmay legere est, provincias dioecesis huius saevum in modum igni et ferro vastarunt, eversam esse. Bona eius subinde in duo claustra, Beregszászini, quae erant, devoluta anno 1572 Casparo et Balthasaro Zekell (Székely) collata fuere.

Praepositus: Rss. D. Emmanuel Dessewffy. Can. Szathmár. . . dein
Rss. D. Nicolaus Tremmel, Parochus Rima-Szombatensis.

Praepositura S. Georgii M. M. de Szobráncz.

In oppido provinciae Ungensis Szobráncz exstiterat condam magnifica, honori S. Georgii Mil.- et Martyris dicata ecclesia, quae munificentia inclytæ familiae Nagy-Mihály in Praeposituram elevata anno 1560 obtinuerat Parochum et Praepositum Georgium Nagy-Mihályi. Archiv. CC. Sztáray. Ante annos quadraginta stetit adhuc magna ecclesiae pars stylo gothico ornatissime aedificatae, ast iam ruinae proxima. Portale fuit, prout testes oculati asserunt, magnificentissimum. Paullopost dein solo est aequata ecclesia, quae tempore motuum reformationis est sibi relicta.

Praepositus: Rss. D. Paulus Rudolff, Canonicus Szathmár.

IX.

Ecclesiae olim celebriores.

1. Primam inter has facile partem tenuit

Ecclesia Szathmár - Némethiensis, quae temporibus St. Stephani Protoregis iam parochialis fuerat. Cives etenim Szathmárinenses coram Andrea II. anno 1230 comprobarunt se e Bavaria per reginam Gisela, St. Stephani coniugem evocatos ad Samusium consedisse, et Andreas II. non dubitavit „dilectis et fidelibus hospitibus suis teutonicis Szathmárinensibus” ad Samusium habitantibus antiqua eorum pri-vilegia confirmare itaque, ut secundum morem Saxonum Majorem villae, item plebanum a iurisdictione Szászváriensis Archidiaconi exemptum et quarta parte decimae cum consensu Reinholdi Episcopi Transsylvaniensis dotatum libere semper eligere possint ac valeant.

Anno 1216 Joannes, parochus Szathmár. erat Vicarius Episcopi Trans. — Anno 1261 Magister Joannes, Vice-Archid. Szathmár. fuit Sacerdos aulicus Stephani V. Regis, prout iam anno 1247 fuit Aegydius, Parochus Szathmár., Capellanus aulicus Stephani Regis. Memorantur adhuc 1216 Gabriel, anno 1217 Nicolaus et 1226 Eltuman vell Oltuman Vice-Archidiaconi de Szathmár, item Petrus 1308, dein anno 1346 Joannes Plebanus de Némethi et eodem anno simul cum priore Magister Bulchar Sacerdos Parochialis de Szathmár. In patulo est ex hoc diplomate, et civitatem Némethi eotum habuisse Parochum et civitatem Szathmár distinctum, dein in Csomaköz eotum fuisse plebanum

Nicolaum et in Károly Stephanum, denique servos et servas nondum libertate donatos. (Dipl. hoc exstat in Archive Comitatus.) 1622 ecclesia haec et parochia iussu Gabrielis Bethlen Protestantibus, qui eam iam antea possederunt aliquo tempore, tradita est. Anno 1709 fuit Parochus Szathmár P. Mathias Szilágyi Soc. Jesu.

Anno 1404 et 1464 parochia Szathmár-Némethensis a iurisdictione Episcopi dioecesanii exempta et Archiepiscopo Strig. fuit subiecta. Patet hoc e bullis Bonifacii IX. et Pii II. PP. Cetera, quae huc pertinent vide sub V. ad annum 1797.

2. Parochialis lib. regiaeque montanae civitatis ecclesia Nagybánya.

Civitas haec, etiam Asszonypataka, Előpatak, Frauenbach, civitas de Rivulo Dominarum, Rivulus, Rivuli Dominarum, Rivulum olim dicta, incolas accepit sub Geyza II. anno 1142 Saxones.

Anno iam 1347 venerunt Joannes Parochus civitatis huius et capellanus regius cum Martino iudice et Magistro Petro Notario et Ulrico iurato Assessore in conspectum Regis Ludovici I. Magni rogantes, ut antiquorum privilegiorum suorum diploma igne consumptum renovaretur. Rex deferens petitis iis ius dedit Plebanum et Judicem, quos vellent eligendi, statuitque ut decima vini dividatur bifariam, altera pars cederet parochi, et ecclesiae, quae aedificari coepta est, altera *). De ecclesia hac, cuius turris una in hanc usque diem immota stat et annuntiat magnificentiam ecclesiae collapsae, haec scribit Antonius Szirmay „Nagybánya anyatemploma sz. István tiszteletére szentelve igen fölséges régigoth épület vala faragott kőből, czifra tornáczokkal.

*) Verba diplomatis huc pertinentia haec sunt: Donec ad eius (ecclesiae). perfectionem plene deveniant, medietas decimae frumenti et vini ad opus ecclesiae. item census depositionis, vini, census mensurae et census staterae qua perfecta usibus comunitatis perpetuo applicetur.”

[110]

1692-ben a Jézus társaságabeli szerzeteseknek átadatott akképen, hogy mig egyházi plebánosa nem rendeltetik, annak csak gondviselői legyenek. — 1705-ben a szécsenyi mezőn tartatott gyülekezetben Rákóczy Ferencé követői által elvégeztetett, „hogy ezen templom adassék a hozzá tartozó pertinentiáival a helv. confession lévőknek, sz. Miklós temploma pedig maradjon a kath. status kezénél, melynek épületére tartozik adni az ott való magistratns 300 Rf., a kath. plébánosnak pedig méltóztatik a mélt. fejedelem fundatiót adni. Szent Márton temploma pedig ngyan ottan legyen az Augustana confession lévőké, a Nagybánya városa malma, mely ispotálymalomnak neveztetik, és az ahhoz való jövedelmek vétetődjenek el a P. jezsuitáktól és minoritáktól. ... A dézma pedig cum xenodochio et beneficiis legyen a helv. confession levőké.” (Szirmay I. 235.)

Anno 1712 per Cameram regiam ecclesia St. Stephani Patribus Soc. Jesu restituta est. Haec, dein ea, quae Cassoviae est, et quae Szathmárini fuit, aequalia habuerunt fata. Quoties civitates hae tres per seditiosos occupatae sunt, ecclesiae earum Protestantibus sunt datae, quoties vero in potestatem Regis legitimi rediverunt civitates dictae, ecclesiae earum restitutae sunt catholicis, et hoc saepius factum,

Anno 1769 die 26. Augusti ecclesia St. Stephani cum 5 campanis et horologio igne consumta est, 1781 die 8. Februarii sublatis - Jesuitis ecclesia haec tradita est per Josephum II. civitati et haec, proh dolor! eam velut unicum magnitudinis suae antiquae documentum sartam tectamque servare intermisit, imo quod plus, inuros quoque eius ante paucos annos 300 florenis vendidit et disiecit. De parochis huius ecclesiae confer superius ad annum 1333 quae notata sunt.

3. Ecclesia Beregszászensis.

Amplissimum hoc oppidum incrementa sua debuit Saxonibus, qui regnante Geyza II. ad illud deducti fodinas

auri et vineas insigni coluerunt industria. Per Tartaros 1241 vastatum et Beregszász fuit, prout patet ex diplomate Belae IV. sequentis tenoris: „Bela IV. Dei Gratia Hung. etc. Rex universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem in Domino. Quod regia auctoritate sancitur, firmum debet stabilitate consistere. Ad universorum igitur notitiam praesentium et posteriorum harum serie volumus pervenire: quod accedentes ad nostram praesentiam hospites nostri carissimi de Lampertháza a nobis diligenter postularunt, ut libertatem, quam eisdem hospitibus nostris super ipsam terram Lampertháza concessimus etc. nostro dignaremur privilegio confirmare.....Decimas vero eorumdem in frugibus et vino dent sacerdoti ipsorum, quem ipsi elegerint. Ecclesia vero eorumdem ad Archiepiscopatum Strigoniensem contineatur et sit sine iurisdictione Magistratus. Plebano vero eorumdem de 50 mansionibus dent unam marcam. . . . Forum habeat die Sabbatho et tam ementes quam vendentes nihil magis solvere teneantur nisi de quolibet curru unum denarium. . . . Datum anno Domini 1247.”

Ecclesia, quae hodie quoque stat, aedificata est circa annum 1418 in honorem OO. SS. Habuit magnifica et splendida ecclesia haec complura altaria, e quibus octo totidem rectoribus et beneficiis aequè octo ad singula pertinentibus provisum fuerunt. Fuerunt autem altaria haec:

1. St. Nicolai Eppi. 2. S. Elisabethae Viduae, fundatum ab Elisabetha Regina, Lud. M. matre. 3. B. Mariae Virg. 4. S. Dorotheae. 5. St. Jacobi. 6. SS. Cosmae et Damiani. 7. S. Michaelis Arch. 8. S. Joannis Bapt. — Parochus proventibus munificentissime fuit dotatus et suos habuit capellanos praeter altaristas.

Anno 1519 Leo X. P. M. ecclesiam Beregszásziensem in Archipresbyteratum elevat litteris sequentis tenoris:

Leo P. P. X-mus.

Leo etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ministerio Sacri Apostolatus, licet immeriti gerentes presidentes, nec non temporum et rerum ac personarum dispositione monemur sic Ecclesias et Oppida quecumque presertim insignia, Privilegiis Apostolicis decorare, ac votis personarum earundem annuere quod per impensionem honoris et commodi illorum devotionis affectus erga Sedem Apostolicam cum earum speciali consolatione et animarum salute in dies valeat majoribus studiis adaugeri. Sane pro parte dilecti filii Magistri Thome de Zalaháza Rectoris, Plebani nuncupati, Parochialis Ecclesie Plebanie nuncupate Oppidi de Beregzáz Agriensis Dioecesis Notarii Nostri, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum Oppidum, et predicta insignia ac Capellanie et Altaria quam plurima ad Dei et Sanctorum eius laudem in eadem Ecclesia erecta, ac ab eisdem Capellaniis Altaribus et Ecclesie in divinis deservendum copiosus Capellanorum et aliorum Ministrorum numerus institutus, nec non fructus redditus et proventus ipsius Ecclesie valoris annui quingentorum Ducatorum et ultra existant, si dicta Ecclesia in Archipresbyteratum dicti Oppidi erigeretur, ac statueretur, et ordinaretur, quod illa, non Plebania, sed Archipresbyteratus, et illius Rector, pro tempore existens, non Plebanus, sed Archipresbyter de cetero nuncuparetur, id profecto ad decus et honorem Oppidi et Ecclesie predictorum ac spiritualem dilectorum filiorum Cleri et Universitatis ipsius Oppidi consolationem cederet. Quare pro parte dicti Thome, asserentis, se charissimi in Christo Filii Nostri, Ludovici Hungarie Regis illustris, Secretarium existere, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictam Ecclesiam, in Archipresbyteratum ut prefertur, erigere, ac quod illa, de cetero non Plebania, sed Archipresbyteratus et illius Rector pro tempore existens, non Plebanus, sed Archipresbyter nuncupentur, statuere et ordinare, aliaque in premissis opportune

[113]

providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Ecclesiarum omnium, decorem et in melius directionem nostris potissime temporibus, sinceris desideramus affectibus, prefatum Thomam, quem hodie in Nostrum et Apostolice Sedis Notarium, gratiose recepimus, a quibusvis excommunicationis etc. fore censentes huius supplicationibus inclinati, Ecclesiam predictam, in Archipresbyteratum dicti Oppidi, auctoritate Apostolica, tenore presentium erigimus, ac quod illa, de cetero perpetuis futuris temporibus, non Plebania, sed Archipresbyteratus, et illius Rector pro tempore existens, non Plebanus sed Archipresbyter nuncupentur, statuimus et ordinamus. Et insuper eidem Thome, et pro tempore existenti Archipresbytero dicte Ecclesie, quod divina Officia in eadem Ecclesia celebrando, seu illis interessendo, ac in ea et dicto Oppido processionaliter incedendo, Mitra, Annulo, baculo Pastoralis, Sandaliis, et aliis Pontificalibus insigniis, uti et in dicta Ecclesia, diebus festivis Solemnibus, post Missarum, Vesperarum, Matutinorum, et aliorum Divinarum Officiorum Solemnia, benedictionem solennem, supra populum inibi tunc interessentem, dummodo ibidem, aliquis Antistes, seu dicte Sedis Legatus, praesens non sit elargiri libere, et licite valeat, de speciali gratia indulgemus etc. etc. — Datum Malliani Portuen. Dioec. Tertio Idus Maii. Pontificatus Nostri Anno Septimo. Collat. Hip de Cesis Altergatus.

Praesens sumptum ex originali in Archivo Secreto Vaticano asservato extractum et collationatum concordat, salva semper etc. ideo subscripsi meoque munivi Sigillo. Romae die 27. Maii 1699.

Thomas de Juliis Vice-Praef. eiusdem Archivi, et Prothonot. Aplicus m. p. (L. S.)

E Privilegio Ludovici II. Regis H. constat, domum parochialem in fine plateae OO. SS. versus septemtrionem protensae proximo ecclesiae parochialis vicinia situatam olim exstitisse; quae sessiones ac domos altaristarum in Beregszász commorantium (quasi meta et terminus), ultra quem

[114]

non eis licuisset suas figere aut extendere, salva immunitate sessiones cingebat claudebatque.

Tempore motuum intestinorum per Lazarum Schwendi Luthero addictum parochia tradita est secularibus viris. Per milites eius combustum est plebaniae molendinum, item sub eo decima vini et frugum ad arcem Munkács occupata fuit, sed ad supplicationem oppidanorum ex decima frugum 200, ex decima vini vasa vini 16 sacerdotibus ipsis impetrata sunt.

Per Ferdinandum I. Parochus Beregszászensis, Georgius Bédy, renuntiatus est Episcopus Csanádiensis, sedem attamen episcopalem conscendere non potuit, nam per Joannem Zápolya anno 1839 ad dictam sedem elevatus est Joannes Barlabássy de Hederfája.

Anno 1657 ecclesia Beregszászensis per Polonos igne supposito in bustum conversa est. (Vide ad annum 1657 superius.) Squallebat dein decursu 180 annorum. Praeterlapis his Comes a Schönborn salutare consilium iniit qua patronus de restauratione ecclesiae huius, ast, quum 1837 labori manus admota est, pertaesus sumtus ab opere restorationis desiliit. Admovit dein manum immortalis memoriae Antistes Joannes Hám et acceptis a Comite praelaudato 3000 fl., a Cottu Bereg vero operariis, accedente divino auxilio per D. Albinum Tischler, presbyterum dioecesanum architecturae peritum, opus magnificum feliciter ad finem perduxit, ut 1846 festo OO. Sanct. Basilica haec in honorem Exaltationis S. Crucis solemniter et maxima cum pompa consecrari potuerit.

4. Ecclesia B. M. Virginis in oppido Nagy-Szőlős.

Oppidum hoc provinciae Ugocensis caput et incolis frequens est antiquissimum, loco plano et hilari sub radice montis Feketehegy situ amoeno, montibus hinc et collibus vitiferis, illinc effusa planitie dextro Tibisci margine con-sedit, omnibus naturae fere beneficiis locupletatum. Namque et Cereri ac Pomonae hospitalis ager est et Bacho. Adsita

sunt oppido arcis vetusti opens, primum Ugocsa, dein Kankó dictae et monasterii St. Francisci diruti rudera. De monasterio hoc inferius plura. Ecclesia parochialis antiquissima occupat meditullium oppidi. Quonam anno et perquem aedificata sit, ignoramus. Videntur tamen in ea supra portam principalem insignia pontificalia, unde patet eam praeposituralem fuisse. Anno iam 1264 et ante fuit Szőlős terra reginalis. Hanc iure dotalitio ad reginam pertinentem Stephanus V. iunior Rex matri per summam iniuriam eripere voluit. Itaque Urbanus P. M. per litteras graviter admonitum, quae mala fide retineret, ut restituat quasdam villas et terras Bistricae Zeolosum (Szőlős) et Queraliaza (Királyháza) vulgariter nuncupatas, quas et ceterae reginae Hungariae, quae praecesserunt, a tempore, cuius memoria non existit, tenuerunt pacifice.

Anno 1394 Sigismundus Rex Szőlős civitatem vocat. De anno 1383 exstant inquisitoriae pro civibus de Zeuleus, — Paraecia Szőlős inter praecipuas lege regni 1545 art. 25 locatur, duos nempe equites occasione insurrectionis statuare debebat. Sacri illius curiones erant a iurisdictione ordinarii episcopi exempti et soli Archiepiscopo Strig. subiecti, plebanique B. M. Virg. de Zeulus et Ugatha vocabantur. Habemus eius argumenti tres schedas:

1320 Thomae Archiep. Strig. ad Vicarium de Beregh, de Marmarosch et Ugatha, qua Petrum Plebanum adversus nobilium iniurias per censuram ecclesiasticam tutandum iubet.

1321. Joannis Varad. Episcopi ad Boleslaum Strig. Arch., qua collationes Petri Plebani de Zeulus et Ugatha ob fidei dignitatem perscribit.

1330. Fratris Steph. Csanadini Archiep. Strig. transumptum pro eodem Petro.

In honorem autem B. Mariae V. fundatam fuisse perhibet archivi Szirmayani documentum vel eo argumento posteritati memorabile: quod sacram virginem Magnam Hunga-

rorum Dominam (Nagyasszonyunk) antenatis nostris vocatam probet, quo mediante.

Anno 1478 Conventus Monasterii S. Regis Stephani de Zent-Jogh relationem facit Mathiae Regi: qualiter dum Egregii Mathias de Zirna et Matthaeus Zoltan de Chepefalva gratia indulgentiarum ad Ecclesiam B. Mariae V. Magnae videlicet Hungarorum Dominae in oppido Zeoleos Fundatam profecti, abinde versus propria redire voluissent, tunc Joannes filius Petri de Perén missis et destinatis etc. in Zeoleos commorantibus armatis manibus in praedictos Mathiam et Matthaeum exponentes irruerunt, eosdem ibidem indebite captivari captivosque tamdiu, quousque suae placuisset voluntatis teneri fecisset.”

Opimos fuisse fructus annuos patet ex art. 25. 1545 et inquisitoriis eiusdem anni: „qualiter Joannes de Perény vacante officio plebanatus oppidi Zölös proventus eiusdem plebaniae nempe circiter 300 capecias frugum et aliarum rerum decimari solitarum et 60 circiter vasa vineorum pro se perceperit.

Anno 1551 Joannes de Perén Plebano oppidi Zölös plurima damna et violentias intulit.

Antequam motus reformationis compositi essent, ecclesia haec tecto privata et sibi relicta est, donec Joannes Hám pientissimus Szathmárinensium Antistes eam magnis sumtibus restauratam fini suo reddidisset. Superiore anno denuo parochialis facta est. — Parochus olim vocabatur de Zeuleus et Ugatha. Posteriore enim nomine vocabatur arx ad Szólós posita, tardius vulgo Kankóvára dicta et parochi de Szólós iurisdictio extendebatur etiam ad arcem et ei subiectas in vicinia sua domos. Habet ecclesia duas campanas, quarum altera hac ornata est inscriptione: Curavit III. L. B. Emericus Perényi S. Com. in C. Ugocha consorq. Honori SS. Trinitatis. Mgeca Dna Chris. Pogany, — alterius autem ephigraphe est: In honorem S. Donati S. Floriani curavit hanc campanam III. Liberum Baronum

[117]

de Peren familia anno Domini 1770. Magnificat anima mea Dominum. Fudit me Josep Juestell in agria 1770.

5. Ecclesia Felsőbányensis.

Felsőbánya alias Medius mons, civitas medii montis vel de medio monte, Mittelberg dicta iam temporibus Ludovici I. et Sigismundi libera, privilegiis ornata erat civitas montana et eandem cum sorore sua Nagybánya est experta sortem per temporum vicissitudines et iniurias. Memoria dignissimum est diploma Joannis Hunyady regni gubernatoris de anno 1452, vigore cuius ille urbura regiam omnium auri et argenti fodinarum civitatis huius donat in perpetuum ecclesiae parochiali huius civitatis pro organo, quod ipsi in ecclesia mirum in modum complacuit et quod ad civitatem suam Zolyom avehi curavit, et quod ibi ineunte hoc saeculo igne combustum est. Urbura haec tempore eo, quo Protestantes potiti sunt ecclesia hac, conversa est in intertentionem ministrorum verbi divini et scholae magistrorum.

Tardius catholici vindicarunt sibi ecclesiam et urbura et eius sumtibus aedificata est splendidissima ecclesia, impensis plus 200,000 flor. et 1858 solemniter benedicta honoribus Magnae Hung. Dominae. Urbura hodie quoque intertenet parochum cum 2 cooperatoribus et gaudet capitali 200,000 fl. et quod excedit, vocaturque „fiscus Patronatus ecclesiae Felsőbányensis.”

6. Ecclesia St. Georgii Ungvárini.

Ecclesia antiqua oppidi nominati stetit iam anno 1332 et quidem non procul a moenibus arcis in sic dicta civitate interiore. Anno 1680 et ecclesia et parochia summum subivit periculum. Protestantes enim eotum praevaluerunt Ungvárini et in tota provincia catholicis, et Status et Ordines Cottus Ungensis fortiter tuiti sunt illos contra hos. Tempore seditionis

Tökölinae et Rákóczianae templum hoc in ruinas actum est ita, ut fideles eiates compulsi fuerint de novo aedificando templo consilium capere. Lapis fund, anno 1762 novae ecclesiae benedictus fuit per Emericum Horvát Parochum et Vice-Archidiaconum, qui anno 1766 et domui par. aedificandae admovit primo manum. Memoria eius in benedictione est. — Memoriae quoque proditum est, exstitisse in ipsa arce Ungvár capellam, in cuius crypta familiae praenobiles Drugeth, Barkóczy, Sennyei et Orosz gaudebant sepulchris gentilitiis. Capella haec superiore saeculo exeunte solo aequata fuit. — Anno 1705 II. Rákóczy iussit ecclesiam cum parochia Protestantibus tradi, quae tamen a catholicis tardius revindicata fuit. — Inter clenodia ecclesiae pretiosissima erant duo monstratoria, a familia Drugeth ecclesiae olim donata. Ex his maius Comes Bercsényi 1711 fuga in Poloniam elapsus secum abstulit prout et alia ecclesiae clenodia, quae tamen non multo post e Turcia omnia remisit.

7. Ecclesia OO. SS. Károlyini.

Oppidum praenominatum, iam anno 1428 Nagy-Károly vocatum, habuit insignem ecclesiam OO. SS. sacram cui 1414 praefuit parochus cum capellano. — Anno 1510 connotat Petrus plebanus res per Dominos et Dominas de Károly ac alios etiam diversis temporibus ecclesiae praeaudatae donatas. Anno 1511 e familia Károlyiana duo erant sacerdotes, nempe filii Audreae de Károly, Stephanus, Canonicus Albensis et Michael, Plebanus de Beregh. — Fuit in arce praeterea sacellum. De his vide plura superius V.

8. Ecclesia S. Martini in Kaplony.

In quadam historia inclytae familiae a Károly fit mentio quinque (?) ecclesiarum circa annum 1100 in Kaplony

existentium lapidearum *), quarum maior honori St Martini antea dicata et ex ruderibus per Comitem Alexandrum a Károlyi reaedificata fuit et in honorem nativitatis Christi Domini benedicta, adnexo eidem monasterio pro St. Francisci filiis. Ecclesiam hanc, e qua solum aliquot supersunt adhuc artificiose secti lapides, 1080 iam exstitisse testabatur inscriptio antiqua, una vetustissimam eam fuisse probabat forma eius, imprimis fornix quatuor solidis columnis roboratus. Ad latus ecclesiae, quod meridionalem respexit partem, habebatur capella, ad quam quinque gradibus descendebatur, e capella vero hac fuit aditus ad cryptam. Ecclesiam, quae hodie honoribus S. Antonii Paduani est sacra, munificentissime una cum contiguo monasterio struxit Excell. Dominus Georgius a Károlyi anno 1841.

9. Ecclesia Munkácsensis.

In antiquissimo oppido Munkács iam antiquissimis temporibus exstitisse ecclesiam, testantur Regesta pontificia et ecclesia, quae hodie quoque visitur stylo gothico structa. In decreto Visitationis canonicae anno 1778 die 29. Junii institutae, quae sequuntur, est legere: „Intelleximus in ecclesia Munkácsiensi exstitisse Altariam B. Virg. Mariae per egregium Georgium Varga anno 1493 fundatam, docente idipsum documento in Archivo Conv. Lelesziensi ad dictum annum sub Nr. 39 existente, in quo super erectione huius

*) In his oris plurimas ecclesias, imo et munimenta fuisse e lingno constructas, indubium est. Saepe etenim annotatur in diplomatibus id, dein dicitur haec vel illa ecclesia, quasi per exceptionem vel eminentiam lapidea. Sic 1322 Episcopus Andreas facultatem dedit fidelibus in Csenger ad preces Magistri Joannis Ivánissy in incrementam cultus divini praeter ecclesiam S. Margaritae parochialem capellam ligneam aedificandi. (Cfr. Szirmay II. 129.) Existant plurimae isthic ecclesiae lignae gothico structae stylo suntque omnes fere graeco cath, vel reform.

altariae consensus Joannis Corvini de Hunyad Slavoniae, Oppaviae ducis elucet. Pertinebat ad hanc altariam: curialis fundus cum domo et universis clenodiis in oppido Munkács (sic), octo boves, vaccae binae, item tres vineae et decem iugera terrarum arabilium et uno prato in territorio oppidi erga obligationem celebrandarum trium missarum omni hebdomada. Anno 1758 baptisati in praedicta ecclesia fuerunt 33, post annos vero centum, idest 1858 194, mortui anno priore 27, copulati 6, — posteriore vero mortui 171, copulati 40. — Historia par. Nagy-Károlyiensis asserit, iconem B. Mariae Virg. tempore ultimae seditionis Rákóczyanae prodigiose lacrimasse ob patrata plurima eorum sacrilegia.

10. Ecclesia in oppido Fekete-Ardó.

Parochia huius oppidi in amoenissimo provinciae Ugocsensis campo siti cum Beregszász et Szőlős praecipuas inter parochias legibus patriae 1525. 14. 1545. 25 locabatur. Fuit autem Fekete-Ardó iam a temporibus antiquissimis villa „regalis, rectius reginalis. Anno 1337 Martinus de Zirna homo regius cum testimonio Capituli Agriensis reambulavit possessionem Giula a parte regalis villae Ordow, intra quarum metas dicebantur decurrere fluvii Feketeviz et Bathar. Domicilia in Fekete-Ardó, Szőlős, dein Felszász, Szászfalu et Ugocsa, idest in vicinia arcis cognominis iam antiquissimo tempore fixisse Saxones, extra dubium est. Litterae etenim summae auctoritatis Urbani P. M. supracitatae perhibent Szőlős et Királyháza a tempore, cuius memoria non existit, semper ad Reginas Hungariae pertinuisse; item in diplomate Stephani V. anni 1262 vocatur Nog-Zaz, idest Nagyszász terra hospitem regionum in litteris denique Ludovici I. in tabulario Lelesziensi repositis incolae de Ugocsa, Ordo, Zaaz nominantur populi et hospites teutonici; probabile proin, ait Ant. Szirmay, est, Saxones eo tempore huc, ad dicta Ugocsensis provinciae

loca, delatos fuisse, quo in vicinis oppidis Beregszász (tunc villa Lampertháza, Luprechtháza seu villa Lamperti et Szathmár-Némethi consederunt. Diploma certe Andreae II. anni 1227 civibus et hospitibus de Zothmar-Nemeti concessum perhibet, hospites hosce Teutonicos per Gyselam, Reginam, Protoregis S. Stephani uxorem in Hungariam evocatos. (Vide Katona 8, 577.) — (In aliis quoque locis provinciae Ugocsa et Szathmár olim domicilia habuisse Saxones, Flandros et Rheni antea accolae testatum reddit Ant. Szirmay; Colonia talis ceteras inter fuit Darnó, ea de causa etiam Szászka-Darnó cognominata.) — Ecclesia Fekete-Ardóensis anno 1560 catholicis vi erepta, et eis 1754 nonnisi opera L. B. Sigismundi a Perény restituta est. Murus ecclesiae huius septentrionalis ornata est antiquissimis picturis, ab extus vero continentur eo quinque glandines plumbeae, testes temporis patriae maxime calamitosi.

Novissime derelicta ecclesia haec restaurata est. — Ecclesiae villarum, quas Saxones incoluerunt, variis fuerunt per reges privilegiis exornatae. Sic villae Felzaz non procul a castro Ugocsa sitae ecclesia par erat capellae regiae, hoc est immunis ab omni iurisdictione ecclesiastica. Hospites Felzazenses villicum et plebanum libere elegerunt, erant messorum regii et semel per annum coenam fuerunt obligati facere Comiti parochiano de Ugocsa. (Cfr. Gf. Mailáth, Geschichte der Magyaren I. 246.)

11. Ecclesia in Szinyér-Váralja

Ecclesiis celebrioribus partium harum olim iure optimo adnumerata fuit etiam ea, quae est et fuit in Szinyér-Váralja oppido. Teste manuscripte in Archivo dioecetano recondito Susanna Báthory, consors Mauriti, Bani Croatiae habitans in arce sua Váralja, post fata mariti orbata omni prole plurimum bonorum suorum haeres constituit ecclesias. — Aedificavit septem ecclesias, nempe: Misztótfalvensem, Illo-

bensem, Váraljensem, quam tribus praediis ditaverat: Kácza, nunc Kácza, Lánamező et Tókes, — Apaensem, Aranyos-Megyesiensem, Sárköziensem, Sárköz-Ujlakensem. Ex his hodie solum Váraljensis est iuris catholici; Illobensis nullum amplius vestigium; Misztótfalvensis non pridem est diruta, A. Megyesiensis est in ruinis, reliquae sunt in manibus reformatorum, a quibus Váraljensis saeculo superiore solum diffi-cillime est vindicata. Szinyérváralja iam saec. 15. oppidum Pedemontum vocabatur et erat familiae Megyesianae, cuius virili stirpe extincta subiecta fuit dynastis Bathorianis. Arcem eius Sigismundus Zápolya anno 1563 fraude et dolo Andreae Báthorio ereptam ex odio in eum solo aequavit. (Vide Wolf. Bethlen.) Szinyérváralyae natus fuit Joannes Erdősy, Sylvester vocatus, qui imprimis hexametris, quos lingua hung. primus scripsit, inclaruit.

12. Ecclesia in oppido Erdőd.

Ecclesiae oppidi huius iam fit mentio in libro de iudicio ferri candentis anno 1216. Incola Terebesiensis Stephanus lite convenit foeminam Deduha ex eadem possessione et filiam eius Penamet filium Pousam propter artes magicas. Iudices erant Abel, Archidiaconus de Herdeud et Comes Joob. Suprafati in ius vocati iudicio ferri candentis subiecti el insontes sunt declarati. Ecclesiam, quae hodie ornat oppidum, extruxit anno 1481 et sequentibus magnifice Bartholomaeus Drágffy, Vajvoda Transsylvaniae, Magnae Hungarorum Dominae, cuius in coelum assumptionis festo die patrocinium cum indulgentiis apostolicis recolitur, dicatam. Fata eius inscriptio in choro memorat sequens: Ut Drágffius Princeps Transsylvaniae has ecclesias tutus erexit et divae Virgini extruxit anno 1481, arcemque sibi et posteris e regione altera successive incoepit, posuit et finivit anno 1484: ita Joannes Sigismundus (Zapolya) rex exussit et ex furia sua evertit anno 1561 auctore Wolfgango Bethlehem (sic saepius occurrit isthic eotum

[123]

nomen Bethlen). Expost vero Alexander Comes Károlyi restauravit anno 1736; tandem a Calvinistis recepta mit anno 1763. Hanc Comes Antonius Károlyi e fissuris renovari destinavit anno 1777.

Ecclesia haec a Protestantibus iam anno 1545, dein 1690 occupata fuit, restitua catholicis postliminio per Alexandrum Com. a Károlyi 1720, anno tamen 1736 denuo a heterodoxis sui iuris facta, et pauci catholici in sacello ecclesiae contiguo coacti fuere sacra celebrare usque annum 1763, quo acatholici ex ea exesse ultima iussi sunt vice. Anno denique 1860 munificentia Comitis Ludovici Károlyi ex integro est restaurata, turri tardius per fideles ornanda. Anno 1737 ecclesia haec erat filialis matris K. Béltek. — Notari denique meretur in oppido hoc Erdőd patre rotario natum esse Thomam Bakacs, Cardina-lem et Arch. Strigoniensem. Mathias Bel propriis vidit oculis diploma Mathiae Corvini, quo Erdődini natus Thomas Bakacs cum tribus fratribus in numerum regni nobilium est relatus. Taurinus poeta coevus de obecuris Bakacsii natalibus haec scripsit:

Nusquam
Tam cito quam Romae(modò sint virtutis amantes)
Obscuris geniti natalibus alta bicornis
Pallade et obsequio transcendunt culmina mitrae.

13. Ecclesia in arce Ecsed.

Ad lacum Láp iam ante adventum Hungarorum munimentum exstitisse et Saruvar fuisse vocatum testis est Anonymus Belae Regis Notarius.

Ecclesiae eius mentio iam 1217 occurrit. Arx, olim etiam Hywseeagh vára nominata, 1608 cum Szathmárinensi, Munkacsiensi et Cassoviensi in tota superiore Hungaria unice merebatur nomen arcis, reliqua propugnacula solum fossata castella fuerunt. Cum anno 1564 Joannes Sigismundus arcem hanc obsidione cingeret, Ferdinandi I. assecla, Nicolao

[124]

Báthory eam fortissime propugnante, capitaneus arcis Ludovicus Szirmay in haec prorupit verba: „Magyar magyart rontja. Kár! Bár több esze volna már.”

Anno 1662 ecclesiam Ecsediensem Sophia Báthory catholicis restituit. In comitiis regni 1681 et 1687 questum est, ecclesiam hanc cum redditibus per catholicos occupatam esse. 1695 ea iterum in potestatem acatholicorum devenit Arx 1701 postquam Franciscus II. Rákóczy fuga in Poloniam evasit, diruta est. Ante arcem in quapiam insula iam antiquo tempore exstitit alia ecclesia, quae hodie quoque superest.

14. Ecclesia Vinnensis.

Ecclesiam, quae hodie quoque ornat praenominatum provinciae Ungensis pagum, esse; antiquissimarum et celebriorum dioeceseos huius ecclesiarum unam, monstrat tota eius structura, novissime pia Illust. D. Comitis Joannis Waldstein munificentia restaurata. Exstitit quondam Vinnae et alia ecclesia SS. Trinitatis anno 1775 indulgente Ordinariatu diruta, — tertiae in promontorio Szent-Kereszt rudera hodie quoque visuntur.

15. Ecclesiae in quinque coronae oppidis.

In quinque illis Marmatiae oppidis, quae coronalia dicuntur, Saxones, plus quam verosimile est, colonias collocarun eo tempore, quo sub Geyza II. plurimi eorum in Transsylvania immigrarunt.

Ecclesias in quolibet dictorum oppidorum 1333 iam floruisse, in aperto est e Regestro decimae pontificiae, et ecclesia, quae Viskini est, ante paucos adhuc annos inscriptionem gessit in fronte MCCXXIX.

Szigethum usque annum 1352 villa per Ludovicum M. anno praesito ad humilem et devotam supplica-

tionem disserti viri Benedicti *) Plebani ecclesiae S. Emerici Conf. de Szigeth inter oppida privilegiata Marmatiae cooptata fuit ac iisdem libertatibus, quibus reliqua quatuor Huszt, Técső, (Deutschau) Visk et Hosszumező, gaudebant oppida, ornata. Fuerunt vero privilegia dictorum oppidorum concessa per Carolum Robertum anno 1329 sexto calendas Maii solemnibus diplomate, quod cetera inter haec habet: „Carolus Dei gratia Hung., Croat, Ramae, Serviae, Galliciae, Bulgariae Rex, Princeps Salernitanus, honoris ac montis Sancti Angeli Dominus, omnibus Christi fidelibus praesentibus pariter ac futuris praesens scriptum inspecturis salutem in salutis largitore etc. Et sacerdotem seu plebanum ad ecclesias eorum parochiales sponte recipiant, quem in iisdem ecclesiis nonsolum usque tempus, sed etiam perpetuo possint servare. Et idem plebanus eorum in suis extremis bona sua et res suas liberam habeat quibuscumque voluerit testandi facultatem. Hinc iidem hospites nostri decimam eorum sacerdoti, sive plebano debitam in agro relinquunt ex integro, item sacerdos eorum de 50 fundis integris terras arabiles habentibus ratione decimae solvat suo Episcopo dioecetano unam marcā denariorum pro tempore currentium in termino consueto. — Ludovicus M. ceterique reges haec omnia usque Leopoldum I. confirmarunt.

Postquam discordia taetra bellica civilis postes portasque refregit, praetensa reformatio parochialis his exitium attulit, prout iam supra (pag. 53) dictum est. Forsan isthuc pauca de vicissitudinibus uniuscuiusque dictarum ecclesiarum olim meminisse iuvabit.

1. Szigethum. Decimam regiam supramemoratam oppidi prout Szigeth ita et ceterorum anno 1611 princeps Michael Apaffy contulit ministris helv. conf., quam tamen M. Theresia ecclesiae cath. tardius restituit, fortissime rem propugnante Excell. D. Carolo e Com. Eszterházy, Episcopo

*) Benedictus hic iam 1336 fuit parochus Szigethanus et Vicarius Episcopi Agriensis. (Vide pag. 14).

Agriensi, qui Marmatiam canonicè visitavit et cum commissione regia etiam in eo fuit, ut Viskini et in Tecső parochiae erectae fuerint. Clerici regulares per augustissimam Domum Habsburgicam „ad religionem catholicam in his partibus, iuvandam, tutandam, conservandam nata.” Szigethum sub Carolo III. deducti de ecclesia cath. in tota Marmatia tam erudiendo iuventutem quam curam animarum exercendo optime meruerunt. Anno 1736 die 27. Maii primus lapis ecclesiae Szigethanae positus est in honorem S. Caroli Borromaei. — Anno 1742 grassante peste Szigethini plus mille, et quidem quinque clerici Schol. Piarum duobus solum superstites et e catholicis 104 sunt consumti. — Anno 1751 catholici ab acatholicis antesignano Vicecomite Alex. Maróthy multifarias persecutiones sunt perpassi. Anno 1780 Stephanus Balogh primus fuit e clero saec. parochus renuntiatus Szigethanus.

2. Huszt. Ecclesia huius oppidi parochialis honoribus S. Elisabethae sacra iam antiquissimo tempore floruit et populosa erat. Exstat diploma de eo, quod Petrus presbyter de Huszth 1479 in dominium portionum nobilis Dominae Margarethae relictae condam Joannis Vitzay viduae in possessione Herintse habitaram, item in dominium tredecim sessionum jobbagyionalium in Liptse, quas antea filii J. de Urmező possederant, fuerit introductus et statutus, Mathia I. Corvino bona haec dicto plebano et ecclesiae S. Elisabethae conferente.

Uladislaus II. anno 1515 pro meliore subsistentia Mathiae presbyteri, ceu Rectoris sive Ministri altaris B. Catharinae Virg. ac successorum eius e fodina Rhónaszékensi quotannis 1200 sales currules perpetuis successivis temporibus dandos esse mandavit ea conditione, ut idem Minister successoresque eius pro salute donantis Regis singula hebdomada duas missas legere et celebrare teneantur. „Altare hoc B. Catharinae in parochiali ecclesia civitatis nostrae Huszth sita constructum,” aperte dicunt praelaudatae donationales. Num tamen antiqua ecclesia

[127]

gothicae structurae, quam hodie reformati possident*), fuerit ecclesia dicta parochialis, non constat tuto. Alterius ecclesiae Sanctimonialium in Huszt existentis mentionem inferius faciemus. — Lampe porro in historia reformationis narrat, Husztini monachos ad ecclesiam S. Helenae coenobium habentes se anno 1547 fortiter praedicationi doctrinae Lutheri opposuisse.

Annus 1566 gregi cath., qui eotum in oppido Huszt fuerat, supremam adtulit perniciem: fatali enim hoc anno plebanus Huszt. cognomine Lovász cum fidelibus suis ad haeresim descivit sicque ecclesia S. Elisabeth cum bonis suis in manus acatholicorum devenit. Ab hoc tempore vicissitudines rei cath. in hoc oppido alta premunt silentia ad annum usque 1720, quo iam aliquot familias catholicas in oppido exstitisse, innuunt matriculae hoc anno initium sumentes, e quibus una eruitur, usque ad restitutionem parochiae anno 1765 animarum cath. in oppido hoc degentium curam spiritualem egisse capellanos arcis Husztensis.

In historia manuscripta provinciae Marmaros asseritur, arcem dictam in tutamen fodinarum salis exstructam esse per S. Ladislaum circa annum 1091- Manuscriptum V. Simonsics. cui titulus „Noctes Marmatiae” evincunt arcem hanc iam ante 1387 stetisse, quo Iza et Apsa perhibentur possessa esse ab arce Huszth.

Anno 1449 Joannes Hunyadi mandat quotannis capellae arcensi per Joannem Kenderessi arcis praefectum aedificatae 12 aureos numerari.

Anno 1766 die 3. Julii exorta horrida tempestate magna pars arcis fulminis ictu circa horam 9. vespertinam tribus in locis incenditis conflagravit, qua occasione capellanus arcensis Felicianus Scholz aute explosionem pulverum pyrriorum in arce asservatorum cum reliquiis sacris capellae quasi

*) Ecclesia haec, antiqua eius vasa sacra et antiquae carapanae cum inscriptionibus digna sunt, ut archaeologi attentionem suam in ea convertant.

prodigiose ex arce, cuius aditus pertrabes deciduas praeclusus fuit, salvus evasit ibi ubi montis praecipitium maximum est.

Fideles Husztenses saepesaepius omnem moverunt lapidem ad ecclesiam antiquam sibi revindicandam e manibus acatholicorum, ast sine optato effectu. Finem conatum attulit Edictum Josephi II. tolerantiae, cuius art. 12. statutum est: "Protestantes in usu imperturbato ecclesiarum, quarum in possessione acta essent, relinquendi sunt." — Praelaudatus Antistes Agriensis anno 1778 Marmatiam canonicè visitans sanxit: „Non secus iniungimus parochis, ut, si pro divinorum celebratione commodiorem locum obtinuerit, de procurandis indulgentiis pro festo S. Elisabethae sollicitus sit; iustum enim est, ut, cum huic Sanctae dedicata olim fuerit Husztensis ecclesia et nunc eius celebrare patrociniū, ut ea intercedente antiquo hic flori vera religio restituatur." Fundamenta novae ecclesiae die 10. Augusti 1799 sunt iacta, qua occasione sermonem hung. P. H. Virág, germanicum vero Joannes Schmotzer, Parochus Tisza-Ujlakensis habuit. — Arx cum capella 1775 militibus et tormentis evacuata iussu Josephi II, cum iam iam restaurata fuisset, sibi relicta est. - Anno 1778 Episcopus visitans-Husztini numeravit 128 confessionis capaces et incapaces solum 28, qui numerus anno 1859 auctus est ad 828 et 245, - quod maxime colonie Germanorum: tribuendum, quae 1785 deducta est ad oppidum hoc.

3. Visk. Ecclesia huius oppidi hodie quoque possi detur a reformatis et multo maior est singula alia e quinque hodie adhuc existentibus antiquis Marmatiae ecclesiis. Devenit in manus protestantium post annum 1547, quo Thomas Huszti e loco natali suo per monachos pulsus, istic cum effectu coepit novam doctrinam propagare. Ante praelaudatam visitationem canonicam administrator Viskensis et Técsőensis fuit capellanus localis, qui in Bustyahaza habitavit. Primus parochus renunciatus est 1780 Ignatius, Hubert, cooperator Szathmár.

[129]

4. Tecső. In turri ecclesiae oppidi huius exstitit olim tabularium quinque oppidorum coronalium. Primus parochus oppidi huius anno 1780 renuntiatus est Joannes Hagymásy. 1882 die 9. Augusti locustae inundarunt oppidi territorium et paullo tardius, idest 17. eiusdem mensis terrae motus terruit incolas.

5. Hosszúmező. (De longo prato). Ecclesia huius oppidi iisdem fuit obnoxia vicissitudinibus, quibus ecclesiae mox memoratae. (Vide pag. 32.)

X.

Domicilia Religiosorum,

quae olim in his exstiterunt partibus.

I. St. Francisci filii, Fratres Minores (Mino- ritae) dicti.

1. Conventus Szathmárini.

Fratres minores Szathmárini monasterium condam habuisse, quod iam anno 1335 floruit, certum est e litteris testibus, quas fratres minores Szathmárini in ecclesia B. M. Virg. Deo famulantes dederunt et sigillo monasterii sui muniverunt de eo, quod Magister Joannes Chaholy praedicto anno in Parasceve e 20 gyris (marcis) numeravit ipsis 12 vigore testamenti, quod avia sua condidit.

Anno 1370 auxit dotem monasterii huius Elisabetha Regina, Ludovici I. mater, voluitque illud St. Elisabeth esse sacrum.

Anno 1448 Joannes Cardinalis mandat, prout in annalibus Ordinis est legere, Dionysio Cardinali et Archiepiscopo Strig., ut monasterium St. Elisabethae Szathmárinense restituatur Minoritis, qui ex eo eiecti sunt. Mandatum hoc in effectum deductum fuisse, certum est, quia anno 1477 P. Georgius fuit Guardianus constitutus monasterii huius. In catalogo monasteriorum anni 1531 nullum iam eius vestigium.

2. Conventus Nagybányae.

Origo huius Conventus est sequens: Anno 1406 civis et senator Nagybányensis, Joannes Omechin vicinum civitati

pagum Geród (Giród-Tótfalu) 600 florenis auri emtam donavit hospitali a se fundato et Templo S. Nicolai contiguo et iuri patronatus Magistratus civici obnoxio. Piam hanc foundationem ad preces sacerdotis Mathiae, qui hospitali praefuit, 1430 Sigisnaundus, 1556 Ferdinandus I., 1557 Isabella et 1580 Stephanus Báthory, Rex Poloniae confirmarunt.

Anno 1605 Stephanus Bocskay acatholicis tradi iussit hospitale hoc una cum templo.

Anno 1687 Leopoldus I. Commissarios regios, Comitem St. Csáky, Com, Fr. Barkóczy, Generalem Mezei et L. B. Lad. Károlyi misit Nagybányam ad ecclesias S. Stephani, S. Martini et S. Nicolai catholicis restituendas, qui duas Societati Jesu et tertiam, idest S. Nicolai ecclesiam Minoritis cum hospitali, pago Giród-Tótfalu, mola et vineis, accedente 1692 donatione regia, quo anno per Nicolaum Dorich, Can. Agr. et Georgium Becsky, hominem reg. etiam introducti sunt. Cum tamen monachi hi homines extranei essent, 1704 per seditiosos multis iniuriis lacesiti e monasterio suo et e civitate eiecti sunt. 1710 per Com. Alex. Károlyi reducti amissa recuperarunt. Anno hoc grassante peste, qua magna incolarum multitudo enecata est, P. Didacus Kelemen doctrinae et virtutum splendore enitens de civitate optime meruit. Diem supremum in fama sanctitatis obiit — Carolus III. 1711 confirmavit piam foundationem hanc ea lege, ut Minoritae obligati sint ad sex pauperes in hospitali inter-tenendos. Anno 1791 novum exstructum est monasterium.¹⁾

¹⁾ Schem. Ord. novissimus haec habet: „Patres usu urbis dotati, pacem cum omnibus foventes vixerunt, usque motus Rákóczianos dictos, queis erumpentibus, ubi e praesenti tranquillitate nova tempestas commoveretur, a ferocibus gentilitatis draconibus eliminati, alii eorum exules, alii de barbara immanitate excarnificati mori endo triumpharunt. Durante, semperque novis furoribus inflammato bello, Conventus gravissimo fortunae vulnere percussus, hostili feritate paene totus dissipatus est. Digna certe Domus Austriaca, quae juratum Numinis cultum structurae suae basim facto profitetur, ejusdem fundamini benedictionem de Coelis consequatur, magnanimitatis memoria cordibus nostris insculpta fulgente.

II. St. Francisci filii, Franciscani dicti Provinciae SS. Salvatoris.

1. Conventus Nagybányae.

Ordinem hunc in civitate Nagybánya iam antiquissimo tempore monasterium habuisse, testatur Bartholomaeus Pisanus anno 1383 in Historia sua Ordinis, dein Szentiványi in Catalogo suo prout et Péterffy. Historia Prov. SS. Salvatoris Cassoviae 1759 edita testatum reddit P. Franciscum de Bánya Guardianum 1481 in Szánthó electum fuisse Vicarium idest Ministrum Provinciale. Anno 1525 fuit Monasterium hoc Custodia et numeravit sequentes Conventus: Bányensem, Báthorensensem, Szőlősiensem, Megyesaljensem (A. Megyes) et Kusalyensem, in quibus 116 fratres Deo famulabantur

Anno 1551 nulla iam eius superfuit memoria. Calamitosis reformationis et bellorum civilium temporibus exitium ei parabatur. Anno 1559 reassumta quidem fuerat Custodia Bányae, ast in duobus solum Conventibus Báthor et Megyesalja. Hoc tempore fuit Conventus Bánya dirutus. V. Istvánffy lib. 20. Wolf. Bethlen lib. 4. Ant. Szirmay pag. 221. part. I. haec dicit: „Több kápolnának fenékkövei most is megvannak még Nagybányán. A város malmán tul pedig az országútja mellett a reformatusok mostani temetőjébe benyuló erős kőfundamentum valamely régi templomnak lételet mutatja és a hozzá közellévő kaszáló rét mostis Klastrom-mezőnek neveztetik. Probabilius hoc fuit monasterium Franciscanorum. — Ecclesia St. Martini stetit adhuc anno 1787 in platea „Pénzverő-utcza” appellata et abolita societate Jesu tradita est presbytero dioecetano ad-ministranda. — Anno 1724 stetit etiam Ecclesia S. Catharinae; ad hanc enim processionaliter sepultus fuit eotum filius Com. I. Teleky.

2. Conventus in Nagy-Szőlős.

De Conventu hoc Historia Provinciae supralaudata haec habet:

§. 1. „Nagy-Szólós (aut Szólós), I. Cottus Ugocsa oppidum quondam peramplum, iure haereditario iam ab antiquis temporibus familia Perényianorum inter sua numerat bona. Oppido huic collis adiacet communiter Kankó nominatus, in quo antefata inclyta familia quinto adhuc saeculo supra millesimum Seraphici patriarchae filiis, fratribus nimirum minoribus de observantia nuncupatis, monasterium penes suum castellum extruxerat, quod religiosum domicilium postea evasit celebre, tum a multitudine alumnorum, tum a provincialibus comitiis; siquidem iam anno 1525 fuerit ibidem celebratum capitulum in quo electus in ministrum provincialem legitur P. Joannes de Tárnok; quid vero anterioribus temporibus in illo conventu actum, quique eius fuerint superiores locales, illorum temporum tabulis provinciam hanc almam innumeras vicissitudines perpessam spoliavit non una bellorum tempestas et haereticorum naturalis rapacitas. Anno 1554 fuit pariter inibi celebratum capitulum provinciale, in quo in ministrum provincialem electus est P. Emericus de TÖVIS.

Conventus hic in suo vigore pluribus annis permansit, verum post tristem et fatalem cladem Mohácsianam dum Turcae Hungariam inundarunt, haeretici, his si non peiores, saltem non meliores, bona ecclesiastica invaserunt, domicilia religiosa expilarunt, quorum sacrilegae manus et hoc domicilium nostrum Szólósiense cum multis aliis demolitae sunt, siquidem hac tempestate haeretica, custodia Banyae (cui hic conventus incorporatus fuerat) suppressa gemebat, unde conventus hic anno 1554 ingremiatus fuit custodiae Jenő. Verum anno 1559 reassumpta quidem fuerat custodia Banyae, ast duntaxat consistebat in duobus conventibus, Báthoriensi et Megyesaljensi, de conventu autem Szólósiensi nec in hac, nec in custodia Jenő ulla reperitur mentio, unde non vane coniiicere licet, monasterium Szólósiense his annis fuisse dirutum, fratres pulsos, aut caesos, prout et Nicolaus Istvánfius famosus annalista lib. 20 hist, ad annum 1559 non obscure

indigitat, scribens de Francisco Perényi et Georgio Bebéko ab imperatore Ferdinando ad Isabellam deficientibus.

Cum (Telequesius belli dux) Franciscum Perényium, cum Catharina Bebeki coniuge et liberis gazaque omni, quae nequaquam erat contemnenda, sese iam castellum Zolosium recepisse et defensionem parare didicisset, eo iter divertit, missoque Lupo Savolio cum ut se clementiae et gratiae Ferdinandi; a quo nulla lacessitus iniuria discessisset, dedere vellet, frustra admonisset, obsidere locum constituit. Itaque vineis et aggeribus constitutis, campestrium falconum aliquot ictibus, vallum, quod e cratibus et materia argillaque constructum erat non magno labore deiectum est, ac nostri germanis permisti, per ruinas conscenderunt ac Perénianos abiectis armis sero deditionem offerentes partim cecidere, partim captos in castra perduxere. Ipse cum uxore et liberis captus ad arcem Sárosiam prope Eperjessum sitam perductus est: praeda inter duces et milites divisa, quae ad quadraginta millia numum aureorum aestimata fuit. Fuere, qui existimarent, Franciscum ab irato Numine ea calamitate merito punitum, quod corpus Capistrani, sanctitate celebratum, capto per Turcas Sirmio a monachis in Zolosiano monasterio reconditum, direpto eo, pulsisque monachis, aut caesis, confractum et indignis modis profanatum, in profundum puteum proiici iussisset.

§. II. Innumera sunt, quae prae laudatus gloriosus confessor S. Joannes Capistranus miraculorum fama celebratissimus huic regno apostolico beneficia contulit et vel eo tum, dum collecto per Germaniam, Poloniam, Hungariam et alias vicinas provincias militum cruce signatorum exercitu, quorum septuaginta millia numerata sunt, ad Taurunum seu Belgradum Joanni Corvino suo individuo socio insperato auxilio contra Turcas adfuit, ubi centum viginti millibus Turcarum partim caesis, partim fugatis anno 1456 celebris victoria parta est, quae non nisi huius sancti confessoris consilio et virtuti adscribi debet.

Qui deinde ex corporis fatigatione lethali morbo contracto Ujlakum delatus, vir sane apostolicus et voluntate martyr ibidem pie obiit anno mox antelato 1456. Verum ante annum 1521, quo Turca Belgradum obsedit et totum Syrmium cum vicinis locis occupavit, ne fratres tanto thesauro per infideles privarentur, corpus S. Joannis Capistrani Ujlako (ut fert fama communis) ad conventum Nagy-Szőlősiensem transtulerunt, ibique pia populi devotione honoratum iacuit, donec paucos post annos Peréniani, eo tum haeretici, corpus gloriosi S. Capistrani in altum puteum deiecerunt superingesta lapidum congerie, prouti etiam supralaudatus Istvánfius scriptor egregius ex communi fama scriptum reliquit. Hic fons dein vicibus aliquot repurgari et eruderari cuja studio que nostrorum cepit, quatenus sacrum illud pignus inde levatum decenti loco reponeretur, super quo subiungo elegana testimonium A. R. P. Ambrosii Podiebradsky, provinciae huius ministri provincialis.

Pax Christi, Anno 1672 dum provinciam nostram SS. Salvatoris reformatorum, mihi concreditam visitassem et dudum antea de corpore S. Capistrani audivissem, dum in Ujlak (facta victoria gloriosissima. contra Turcas ad Albam-Graecam) infirmus devenisset, ibique ulteriori infirmitate pressus expirasset, ne tali corpore et thesauro ordo privaretur, ob metum Turcarum, ubique circa dictum locum Ujlak, ubi sepultum fuit, vastantium, translatum erat usque ad confinia Transsylvaniae ad oppidum Nagy-Szőlős dictum, in quo oppido, dum illuc pervenissem, inveni unum monticulum mediocrem, olim arce et monasterio nostri ordinis adornatum, ubi modernis temporibus mere vineae extant, in hoc monte conspexi sat amplum, latum et profundum fontem, qui tam monasterio, quam arci per medium desuper divisus, inserviverat, quia simul in parva distantia monasterium et arx erant aedificata. Sciscitando igitur a familia Perénianorum magnificorum, illorum quatuor ibidem degentium (per quam familiam olim omnes nostri fratres erant tanquam ab haereticis

mactati) an aliquid audiverint de corpore S. Capistrani? dum nostri fratres omnes erant mactati, quo corpus huius sancti ibidem in monasterio iam dudum depositum devenisset? Affirmarunt, uti a suis praedecessoribus habuerunt, taie corpus in illum altum magnum et latum puteum proiectum, una ctim corporibus aliorum Patrum et fratrum, an omnium? Deus novit. His auditis, montem visitavi una cum aliis patribus, ibidem in oppido degentibus, ac aliquot Calvinistis, secularibus, praecipue ibat nobiscum quidam calvinista chirurgus, qui residentiae inservierat. Dum in montem ad fontem pervenissemus, facta omnibus exhortatione, unanimiter omnes fontem rudibus et lapidibus repletum cepimus evacuare, et quo ulterius et profiindius deveniebamus, omnes odorem mirabilem sentiebamus, mussitando ad invicem: hic erit corpus S. Capistrani. Interim noster calvinista chirurgus et residentiae servus, nihil, quae nos ad invicem habebamus, intelligendo, prorupit in haec verba, idiomate hungarico: Patres! sentio talem odorem, quem mea vita non sensi, ad quem: sileas tantum, magis eiicias. Altera et tertia die similiter fecimus; dum autem discessum paraveram, rogavi, praedictos Perénianos magnificos quorum aliqui sat misere cum paucis subditis vixere, exhortando eos: siquidem per eorum familiam praedecessorum tanta strages et persecutio in catholicos, praecipue in nostros fratres et corpus sancti facta est, et ideo supponendo tam miseri et egeni magnifici modernis temporibus facta, velint nobis banc praestare gratiam, et ad evacuandum fontem patri praesidenti quilibet vestrum unum subditum aliquando dare; certe scitote, quod etsi modo depressi sitis, Deus vos per merita sancti huius et sociorum eius exaltabit. Promiserunt et aliquantum laborarunt; sed inopinata insurrectione calvinistica, praesidentem Joannem Franciscum Szegedi, qui generalis lector erat, horrende vulnerarunt, nudum ad densissimas spinas una cum suo socio proiecerunt et in vivis vix reliquertut Qui locus postea multis inhabitabilis, nisi modo

[137]

ibidem ab aliquot annis habitant, et cum timore et tremore paucis admodum catholicis inserviunt. Hic ultimo notandum quod praedictus mediocris mons, in quo simul arx et monasterium erat vocetur Kankó et oppidum Nagy-Szőlős. Fr. Ambrosius Podiebradsky Prv. P. senior, 74 an. completoram m. p.

Testimonium hoc non obscure indicat pretiosum illud pignus in praememorato puteo in diem fors etiam hodiernam latere, cuius investigationem ex facultate Eminentissim Archiepiscopi Strigoniensis et iussu Augustissimi Imperatoris attentavit anno 1698 provincia austriaca, at hanc investigationem per extraneos in sua dioecesi Illustrissimus Praesul Agriensis improbavit hac alma provincia pariter dissentiente, unde commissa fuit nostris patribus, qui delude, anno, qui praefertur, et sequentibus sacro illi corpori inquirendo seduli ineumbant, saepe etiam a coepto labore per tumultuarios impediti ac repulsi. Ut autem labor securius procederet, in congregatione Comitatus Szőlősini habita aliquot personae saeculares corporali prius deposito iuramento interrogatae de loco plurium etiam fontium, non nisi per obscuras elicuere fassiones; evenire enim potuit, ut fons ille, qui inqtirebatnr cum superficie terrae iam fuerit complanatus, sieque patres spe sua frustrati ab ulteriori labore desistebant.

Anno etenim 1699 P. Joachimus Molnár residentiae Szőlósiensis praesidens investigando ecclesiam antiqui monasterii, in cryptis nihil reperit praeter ossa patrum et fratrum ibi sepulorum, et in una crypta reperit ossa quinque personarum, et quidem unius exusta, aliorum autem quatuor salva ab adustione, prouti scribit ad suum superiorem ministrum provincialem A. B. P. Franciscum Besselin sub dato diei tertiae mensis Martii anno, ut supra. Et sic Deus, cuius sunt iudicia incomprehensibilia, sacrum corpus gloriosi huius Confessoris usque in praesens ab oculis nostris esse absconditum voluit, reservando sibi tempus, quo illud pro solatio S. Matris ecclesiae revelet.

De regressu S. Francisci filiorum ad oppidum Nagy-Szólós iam supra pag. 61. diximus. Firmum tamen pedem ante 1720 figere illis ob intestina bella haud licuit. Anno 1747 residentia, quia tota e materia igni apta, imperio Vulcani tam rigore paruit, ut ob incendium ex urbe eo delatum usque ad terram se humiliaverit, nonisi cineres relinquendo. (Vide etiam supra pag. 114.)

3. Conventus in oppido Aranyos-Megyes.

Divi Francisci Seraph. Sodales in nominato oppido coenobium olim habuisse, extra omne est dubium. Meminere conventus huius Szentiványi et Péterffy in operibus suis saepe citatis prout et Historia Provinciae SS. Salv. denique et ruinae magnificae condam ecclesiae, quae hodie quoque ornant oppidum praefatum. Vulgi quidem fabula asserit, ecclesiam hanc olim Templariorum fuisse, ast nullo plane evinci potest hoc argumente. Oppidum et monasterium antiquo tempore Megyes vel etiam Megyesalja fuit vocatum; nomen Aranyos-Megyes tardius est sortitum ab arce sua splendidissima aut rectius a palatio in ea existente aurato „aranyos palota” dicto. Poéta Stephanus Gyöngyösy carminum suorum lib. 2. querelas Annae Lónyay deplorantis sortem mariti sui et domini arcis huius in captivitate Tartarorum squalentis his describit verbis, arcem Megyész pulchram cognominans:

„Legyen mindenemnek harácsoló vására,
Ócsó becsre keljen a szép Megyész vára,
Csak kiváltásodnak készülhessen ára,
Hidd el, nem szomorít mindezeknek kára.”

Ante arcem est collis „Tatárdomb” dictus, de quo traditio fert, Tartaros tempore Belae TV, dum provinciam Szathmár igni ferroque vastarunt, castra metatos fuisse. Anno 1278 iam arcem exstitisse et Andreae de Kaplony fuisse fide diplomatis evicit Ant. Szirmay lib. 2. pag. 211.

Monasterium probabilius fundavit Susanna Báthory, consors Mauriti a Megyes, Bani Croatiae, relicta vidua. (Conf. Eccl. Szinyér - Váralja supra.) Annis 1550. 1531 et 1547. 1559. subiectum erat Custodiae Nagybányae. Tardius nulla occurrit eius mentio. Templum tamen adhuc 1644, 1653 et 1656 perstitit, nana in crypta eius eotum membra familiae a Lónyay et Warkócz sepulta fuerunt, quorum tumbae aeneae hodie quoque visuntur in castello, quod ex arce superest. Carolus Fábry (vide pag. 38) asserit Minoritas hic habuisse olim monasterium, ast per errorem, nam ordo minorum St. Francisci non fuit ordo Minoritarum.

4. Conventus Kaplonyensis.

In Kaplony iam ante tempora infausta Tartarorum monasterium exstitisse, dicemus inferius. St. Francisci filios deduxit ad locum hunc Comes Alex. Károlyi post sedatos tumultus ultimos Rákóczianos. Memoria dignissima sunt verba litterarum fundationalium anno 1719 cetera inter sequentia:

„Minthogy pedig az nevezett helybenvaló szentegyház Krisztus urunk születésére láttatik ex monumentis dedicáltatnak lenni, azon szent emlékezetre, az szentséges pápától is indulgentiákat igyekeztvén nyernem, tovább is azon titulus alatt maradjon az szentegyház, és esztendőnkint azon szent ünnepeken valamint hogy sz. születésekor az angyalok által békeség és csendesség hirdettetett, annak emlékezetére az egész magyar nemzetünk egységeért és lelki testi csendességeért esztendőnkint solemnis devotiók folyjanak és tartassanak. Ezen fölül régi levelekből constálván az monasterium sz. Márton püspök tiszteségére lenni, azért azon szent emlékezetére is egy kis oltár erigáltatván hasonló bucsui solemnitás tartassák napjain. Nem különben minden héten kétkét misét a mi intencionkra mondani tartozzanak, egyiket ezen Kaplony nemzetből származott s boldogul kimult hiveknek lelkeiért, másikat pedig

[140]

ugyan ezen nemzetből álló igazságnak útján lévőeknek gyarapodásáért ;s a vakságban és tévelygésben Isten kegyelméből való megtéréseért etc.” En sensa procerum nostrorum initio saeculi superioris!

III. Eremitoria Sodalium S. Pauli.

1. Eremitorium in Eaplony.

Lucas Episcopus Magno - Varadinensis iam anno 1267 praeexistens, sed iniuria temporum collapsum monasterium in Kaplony restauraverat, illucque Paulinos introduxerat. Testatur id Péterffy in saepelaudato opere. Existit dein in Tabulario Cottus Szathmár diploma Dionysii Palatini, e quo patet, iam 1267 in Kaplony monasterium exstitisse. Anno 1335 et 1370 occurrit sub nomine Koplón Monostura. Cuiusnam ordinis eotum fuerit, ignoramus.

2. Eremitorium in Veresmart;

Anno 1302 in supradicto pago provinciae Szathmár in honorem St. Joannis Bapt. fundavit familia Csabánka, quae ortum suum a Samuele Aba duxerat, et quae originem dedit familiae Rhédey, monasterium pro filiis S. Pauli primi Eremitae. Confer. Szentiványi. Pagus Remetemező proprium erat monasterio supradicto.

3. Eremitorium in Tisza-Berek.

Anno 1486 Bartholomaeus Drágffy de Bélték possessionem Kis-Hódos donavit Paulinis in eremitorio, quod fuit in Tisza-Berek, Deo famulantibus et Mathias I. Rex donationem hanc auctoritate regia confirmavit.

4. Eremitorium in Villye.

Anno 1398 fundavit. Lucas Episcopus Varadinensis de genere Jánk in pago Kápolna eremitorium pro S. Pauli

[141]

sodalibus, quos tamen 1400 ad Viüye in provinoiam Ungensem transtulit.

5. Eremitorium Ungvárini.

Fundavit hoc Ladislaus vel Nicolaus Drugeth a Gerény 1384 in honorem SS. Corp. Christi ad vallum arcis meridionale, dotavitque illud agris et vineis magnae extensionis. Nicolaus, Joannes et Casparua Drugeth donarunt dein huic monasterio 1505 piscinam „Horgastó” vocatam. Stetit vero monasterium hoc ibi, ubi hodie situs est pagus Gerényes. Bombardi in Topographia sua Hung. Viennae 1750 pag. 466, describens Ungvárinum, dicit: „Eremitae S. P. quoque habuerunt hic monasterium, quod tamen iam in ruinis iacet prout et ecclesia S. Stephani *).

6. Eremitorium in Eszeny.

In hoc quoque pago provinciae olim Ungensis habuerunt Fratres eremitaes S. Pauli primi eremitaes coenobium, et memoriae proditum est, J. Drugeth opera horum eremitarum in Villye, Gerényes et Eszeny habitantium usum fuisse ad avitam religionem in provinciam Ungensem reducendam conservandamque, prout iam superius observatum est.

7. Eremitorium in oppido Bereg.

Monasterium hoc in honorem B. Mariae Virg. fundavit 1329 Elisabetha regina Hungariae. (Catal. cit. pag. 33.)

8. Eremitorium in oppido Beregszász.

In amplo hoc oppido ante infausta praetensae reformationis tempora eremitas saepenominatos coenobium habuisse, extra omnem dubitationis alam positum est per annales

*) Fragmen panis corvi, seu reliquiae annal. Ord. FF. Eremitarum S. Pauli primi eremitaes I. 156.

[142]

ordinis S. Pauli. — Monasterium hoc cum aliis tribus, quae Beregszászini olim floruerunt, anno 1573 iam diruta fuisse, patet ex litteris Antonii Verantii Fragopoli eodem datis anno.

9. Eremitorium in oppido Tarpa.

Hic Ordinem S. Pauli monasterium habuisse testatum reddit saepe citatus catalogus pag. 32. Antiquissima ecclesia in possessione reformatorum existens insignia gerit Báthoriorum, unde conicere licet, ecclesiam hanc aedificasse et monasterium fondasse familiam hanc. Anno 1437 Stephanus et Bartholomaeus Báthory dimidium oppidum mediante donatione regia acceperunt, quod antea ad familiam Tarpay pertinuit. — Anno 1681 querebantur Protestantes in comitiis, ecclesiam, parochiam et scholam in oppido Tarpa sibi per catholicos ereptam fuisse. Hodie solum acatholici habitant in hoc oppido.

10. Eremitorium ad Munkács.

In vicinia huius oppidi, seu prope Munkács anno 1329 fondavit Elisabetha regina Hungariae monasterium. Testatur hoc catalogus Ord. pag. 33.

11. Paulini Szathmárini.

Abolita societate Jesu Residentia, quam Szathmárini ea habuit, anno 1776 die 7. Sept. tradita est Paulinis, qui isthic per annos decem habitaverunt et erudiverunt iuventutem, aboliti iussu Josephi II. anno 1786. De Superiore Paulinorum Szathmár. Emerico Kreskai liber, cui titulus: „Planum erigendae eruditae societatis Hung, alterum elaboratus 1790” haec habet: „Membris societatis annumerandus commendatur E. Kreskay, Scholarum Szathmárinensium emeritus Director Regius. Valet praecipue Philosophiae studio, occupatus praeterea mansuetioribus etiam litteris. De hoc genere habet non pauca et sua inserta Cassoviensi Museo

Hung., in quo concinnando et ipse socius est Patet vel ex his, eum omnino vividum ac felicem esse in scrihendis patrio sermone carminibus. Eleganter peritus est linguae hung, probe sciens praeterea latinae, germ, et italicae.” — Abolitis Paulinis Szathmárinum non habuit Gymnasium, donec excels. Cons. Reg. anno 1806 die 1. Julii nuntiavit: „Sua Maiestas Sac. clementer resolvere dignata est, ut ad civitatem Szathmár-Németi Gymnasium introducatur.

IV. Dominicani.

1. Szathmár-Németi.

In civitate nostra olim coenobium habuisse Fratres Praedicatorum S. Dominici, tum e traditione, tum ex antiquitatis monumentis certum est.

In introductione Petri Bacskay de Anarch praesentes perhibentur fuisse anno 1554 Michael Nagy et Georgius Kaza, cives, in civitate Németi habitantes jobbágyiones FF. Praedicatorum. Ant. Szirmay asserit, monasterium hoc anno 1531 iam non exstitisse; exstat tamen testamentum Stephani Vécsey, capitanei arcis Nyaláb de anno 1560, qui monasterio in Szathmár aliquam pecuniae summam relinquit. Ceterum testatum reddit historia ecclesiae ref. Szathmárinensis, post annum 1550 in civitate Szathmár et Németi reformationem tanta incrementa cepisse, ut nullus fere amplius in iis inventus fuerit catholicus prout etiam in tota vicinia, in qua solum adhuc aliqui „Domini terrestres” adhaeserunt Papae.

2. In oppido Beregszász.

In tabulario Conventus Lelesz existunt donationales, vigore quarum Casparus et Balthasarus Zekell acceperunt duo monasteria quae fuerunt Beregszászini sodalium S. Francisci et S. Dominici, et in his litteris regiis aperte diciturj possessionem Olchva ab antiquo pertnuisse ad nominata duo monasteria.

[144]

3. In Peleske.

Joannes Michael Bonnoniensis in Historia Ord. S. Dominici refert, Comitem Arnoldum in praedicto loco Cottus Szathmár, qui olim Pylyske vocabatur, in honorem S. Margaritae fondasse monasterium pro monachis regulam S. Dominici profitentibus. Confirmant hoc Péterffy et Szentiványi, asserentes Comitem supradictum esse stirpem Bánffyorum de Alsó-Lindva.

V. Equites Templarii et Hospitalarii.

Templarios in his partibus olim bona possedissee e vulgi traditione constat. Cetera inter hodie quoque fert traditio Nagybányae e regione fodinae Annuntiationis B. M. Virg. stetisse olim ecclesiam illorum, Hungaris qui „Vörös barátok” sunt dicti. In Ungensi et Beregensi provincia aequae eos exstitisse, asserit traditio.

Dubio omni caret, eos condam sedisse in Beregszász et Vezend pago. Szathmár et possedissee etiam Ökörítő. Sublatis etenim Templariis bona eorum acceperunt Hospitalarii S. Joannis, tardius Equites Rhodenses et Melitenses vocati, per Geyzam II. in regnum inducti. Anno 1327 Magister Ordinis ius praetendit in possessionem Vezend. In Ökörítő 1238 tempore Belae IV. adhuc monasterium exstitisse, certum est e diplomate anni 1352, in quo dicitur, anno supramemorato piscinam Ana vocatam fuisse monasterio propriam!

In Ökörítő sedes fixisse Templarios, testatur etiam Pray in Hist, Prioratus Auranae, dein Fuxhoffer in Monast. et Keresztury in .Hist. Epp. Varad. — Crucigeros Beregszászini olim habuisse conventum, iam diximus supra pag. 111

[145]

VI. Religiosi incerti ordinis.

1. In Szent-Márton.

Ad lacum Ecsed existit in praesentiarum praedium Szent-Márton, quod olim pagus fuit ornatus monasterio in honorem S. Martini fundato et de Sárvár vocato. Eversum est monasterium hoc rabie Tatarorum saec. XIII. — Anno 1312 Elleus de genere Guthkeled, Vice-Comes Szath. dicitur Magister ecclesiae de Sárvár-Monostra, et 1400 familia Báthori, quae originem suam a Guthkeled repetiit, possedit incolis frequentem vicum Szent-Márton cum monasterio Sárvár-Monostra. Cuius tamen ordinis monasterium hoc fuerit, eruere haud successit.

2. In Czégény.

In tabulario inclytæ familiae Kölcsey exstat documentum de anno 1344 a Ludovico I., vigore cuius praedictae familiae donat Rex „Promonthorium Monasterii Czégény.”

3. In Jánk.

In oppido hoc provinciae Szathmár in loco eo, ubi hodie castellum a Comite Zinzendorf condam aedificatum stat C. Barkóczy, olim monasterium floruisse, e fide digna constat traditione, probabilius ab Episcopo Varadinensi Luca de genere Jank fundatum, qui oppidum mox attactum possedit. Cuiusnam ordinis fuerit monasterium hoc, nescimus; si tamen coniecturae locus est, S. Pauli fuisse inde licet conicere, quia praeaudatus Antistes eximius exstitit fautor eremitarum. (Vide Eremitorium in Villye supra 140.)

4. In Kaplony.

Isthic antiquissimo tempore iam floruisse monasterium incerti ordinis iam supradiximus.

5. In coronae oppido Huszt.

In oppido hoc coronae et quidem in ecclesia S. Helenae Deo famulantes monachos se fortiter praedicationi doctrinae Lutheri opposuisse, legimus apud Lampe in Hist, refor. — Cuiusnam ordinis fuerint monachi prae laudati, incertum est; cum tamen Sanctimonialibus quoque faerint in dicto oppido, verisimile est, eos fuisse vel S. Dominici vel S. Francisci filios, illos enim Dominicanae, hos vero Clarissae fuerunt solitae sequi.

VII. Sanctimonialibus S. Dominici.

Cum S. Dominicus persvasissimum sibi haberet anno 1206, in disturbiiis a Valdensibus excitatis, plures familias nobilium, qui immoti in avita religione perstiterant, omnibus spoliatas et filias earum summo expositas esse periculo, constituit apud animum suum, illis asylum aperire, et eum in finem extruxit mox monasterium in vicinia civitatis Toletanae. Praescripsit dein monasterio huic regulam S. Augustini et sanctimonialibus ad illud convolantibus habitum album cum pallio et velo nigro, praeposuitque eis Guillelmam a Fanjaux. Monasterium hoc dimisit dein sodales ad omnes Europae provincias, in ipsamque Indiam. Quo intrarunt Dominican!, eo intrarunt etiam Dominicanae, numerantes mox in Italia 130, in Gallia 40, in Hispania 50, in Portugalia 15, in Germania 40, item multa monasteria in Hungaria, Polonia, Russia et Scandinavia. Carnibus nunquam vescabantur, nisi infirmae quae raerunt. Qualibet feria VI. et a festo exaltationis S. Crucis usque dies festos paschales ieiunia observabant. Quotidie praeter consuetum Officium recitabant quoque Officium parvum B. M. V. Occuparunt se etiam educatione prolium femellarum. Iuvabat haec praemittere, cum in duobus dioeceseos nostrae locis praeter S. Dominci filios et filias eius olim exstitisse certum sit; et quidem exstiteret:

1. Dominicanae in Németi.

Anno 1370 Sanctimoniales praeaudatas habuisse monasterium in Németi testantur Thuróczius, dein Szentiványius et Historia Ordinis praecitata. Anno 1339 Ladislaus Zarazberky de falsificatione monetarum accusatus asylum quaesivit in monasterio S. Dominici in Nempti, ast inde perfractis portis vi raptus, exquisitis cruciatibus vexatus et igni combustus est. (Confer. Szirmay II. 279.)

2. Dominicanae Beregszászini.

In oppido hoc olim opulentissimo, e regione ecclesiae par. ubi nunc domus parochialis stat, existisse monasterium filiarum S. Dominici e continua traditione et diplomatum fide evincitur. Infausta et calamitosissima reformationis et bellorum civilium tempora exitium huic quoque prout supranominatis attulere domibus religiosis.

3. Sanctimoniales in oppido Huszt.

In praenominato coronae oppido floruisse olim claustrum Sanctimonialium. extra dubium omne collocant rudera splendidi condam monasterii cum templo e sectis lapidibus aedificato et crypta in colliculo ad meridionalem rivui Huszt rippam olim positi de quo continua traditione traditum est, Sanctimonialium fuisse. Num Dominicanae vel Clarissae fuerint, eliquatum haud est, probabilior tamen est sententia, quae eas S. Dominici castra secutas fuisse, asserit — De Clarissis, quae in Hungaria plura habuerunt monasteria non erit abs re nonnulla notare. Dictae sanctimoniales originem suam Sanctae Clarae et regulam S. Francisco Seraph, referant in acceptis. Quoquo devenerunt St. Francisci filii, ibi etiam claustra Clarissarum surrexerunt. Numerus eorum excessit eo tempore, quo ordo hic maxime fiorebat, 2000 cum 50,000 clarissarum. Inter celebratissimas sanctimoniales has numerabatur etiam Salome regina Hungariae.

VIII. Societas Jesu.

Dominus, ecclesiam suam nullo non reliquit tempore. Quum fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania et convenerunt adversus Dominum et adversus Christum eius, suscitavit semper viros, qui se instar muri aheni opposuerunt fluctibus concitatis, puta Athanasium, Gregorium, Dominicum et tempore praetensae reformationis Ignatium a Loyola. Posterioris filii, ait scriptor inter Germanos laude dignissimus, „haben an allen Orten und jederzeit wie eine ehrene Mauer sowohl dem Irrthume und dem Unglauben, als den Lastern und der Sittenlosigkeit sich entgegen gestemmt.“ Sedes apud nos habuere:

1. Szathmárini.

Paucis iam supra adnotavimus, per inclytam familiam Károlyi fuisse Patres S. J. Károlyinum evocatos et ad arcem gentilitiam eadem collocatos, cum tamen capto per Turcas Varadino in tuto ibi non essent, illos coactos fuisse Szathmárinum tanquam in asylum concedere, ubi iis Ferdinandus II. iam anno 1630 donavit fundum illum, in quo sibi tardius domicilium („antiqua residentia”) exstruxerunt. Anno 1634 immortalis memoriae Petrus Pázmán pro iis fundationem 33,000 fl. Rh. posuit ea lege, ut curam animarum gerant et iuventutem erudiant. 1647 Ferdinandus III. donavit eis possessionem Kisfalud in Cottu Zemplén pro meliore subsistentia et propria manu scripsit Ladislao Károlyi Sup. Comiti, interpellans eum, ut in partibus Tibiscanis periclitantibus rebus cath. succurrat, qui persecutionibus expositos Jesuitas protegendos suscepit, viam ipsis ad religionem cath. propugnandam per provinciam aperuit et cum arcis Praefecto Comite Steph. Csáky ecclesiam arcensem iis tradidit circa annum 1672, prout et possessionem Berencze, quae scholae reformationum Szath. erat, quod Protestantes in comitiis 1681 aegre ferentes, instar gravaminis libello suo inseruerunt.

[149]

Anno 1683 Patres S. J. ex oppido Sáros-Patak per E. Tököly capto Szathmárinum convolarunt.

Fuerunt autem Jesuitae Szathmárimi omni fere tempore haud plures quam sex. utpote Superior, Spiritualis. Concionator dominicalis et festivalis, Professor et Coadiutor. In schola triviali magister fait, testante id Protocollo Magist., organoedus. — Anno 1742 mense Julio pestis coepit in urbe grassari et Jesuitae omnes, excepto P. Andrea Bojda, qui moribundis astitit et mortuos sepelivit et 1744 in Fehér-Gyarmat convertendis acatholicis operam navavit, consumti sunt.

Sublata societate mense Septembri anni 1773 Patres huiates urbi valedixerunt. Conscriptio bonorum, quae possederunt, eorum instituta et in Archivo civico conservata testatur eos habuisse agros, prata et vineas in territorio urbis, dein in promontorio, in Óvári, Lázári, Homok, Sár, Berencze, Udvari, Szinyér-Váralja, Nagybánya, Muzsay*). Domus eorum tradita est Paulinis et parochia concredita Ignatio Tumliertz, quae anno 1774 secundum institutam per deputationem quam accuratissime conscriptionem in filialibus triginta et ipsa matre circiter 800 numeravit fideles. Anno 1776 civitas per Regiam Maiestatem honore et onere Patronatus ornata est, licet ingenue fassa fuerit, „se ius hoc tempore Jesuitarum, qui praeter curam animarum et scholarum usque syntaxim gesserunt curam, exercuisse nunquam. — Anno 1858 Jesuitae per alteram dioeceseos statorem munificentissime dotati Szathmárinum rediverunt, quod bonum, felix, faustum fortunatumque sit!

*) Benefactores residentiae huius praecipui praeter supranominatos fuere: Leopoldus I. rex, qui ei 23 sessiones col. Donavit, dein Episcopus Nit. Lad. Matyasovszky, denique Gabriel Podhorányi, qui collem Doboló, et hortum contiguum cum aedificiis dono ei dedit.

2. In oppido Ungvár.

Collegium Ungvárini fundavit Georgius Drugeth a Homonna, provinciarum Ung et Zemplén ab anno 1603—1626 Supremus Comes, anno 1613 die 22. Novembris. Anno proximo futuro fundatio eius confirmata fuit et Patres in monasterio Franciscanorum iam iam collapsa et per fundatorem anno 1614 restaurato sedes fixerunt et Gymnasium aperuerunt. Non licuit tamen iis Ungvárini diu esse felicibus, etenim Gabriel Bethlen enecatis 1619 Jesuitis Cassoviae, eos Homonna et Ungvárino una cum fundatore eorum in exilium egit. Exulibus Polonia praebuit asylum unde solum post annos decem licuit ipsis patriam repetere et Homonnae sedem figere. Cum tamen Georgii Drugeth filius Joannes videret per Protestantas Munkácsini dominantes rei catholicae Ungvárini et in provincia cognominis exitium parari, anno 1636 Collegium et Gymnasium S. Jesu Homonna Ungvárinum transtulit in monasterium praedictum multo aere renovatum. Sequebantur mox iterum bella civilia auctore Georgio I. Rákóczio, qui anno 1644 Collegium dictum globis tormentorum in ruinam et Jesuitas in exilium egit, Cracoviae invenientes cum rectore suo S. Kattay asylum. Motibus Rákóczianis sedatis Jesuitae Ungvárini denuo aperuerunt Scholas, ast iam 1679 per seditionis novae antesignanum, Emericum Tökoly, iterum iis valedicere coacti fuerunt. Paulopost reduces mox arci Ungváriensi per E. Tökoly praefectus Franciscus Gombos Ungvárino vice iam iterata exesse eos iussit, quo solum post pacem Carlovicensem licuit iis reditum parare. Anno 1700 iam 200 plures frequentarunt studiosi iuvenes gymnasium Ungváriense et quidem haud pauci annum aetatis suae 20—30 agentes e provinciis Bereg, Ugocsa, Marmaros, Szathmár et Szabolcs. Gymnasium hoc in regno celebratissimum eorum in sex fuit divisum classes et numerus catholicorum in oppido iam 2000 superavit, tantus enim erat effectus zeli, quo Jesuitae in

